NUM LEGITIME PRUDENTERQUE SE GESSERIT M. TULLIUS CICERO CONSUL IN PUNIENDIS CONJURATIONIS CATILINARIAE CONSCIIS

DISSEREBAT

THESIMQUE FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

GEORGIUS BERTRIN

IN ORDINE LITTERARUM AGGREGATUS

PARISIIS

L. SANARD LIBRARIUS

VIA DICTA DE SANCTO JACOBO, 174

—

1900

NUM

LEGITIME PRUDENTERQUE

SE GESSERIT

M. TULLIUS CICERO CONSUL

IN PUNIENDIS CONJURATIONIS CATILINARIAE CONSCIIS

NUM

LEGITIME PRUDENTERQUE

SE GESSERIT

M. TULLIUS CICERO CONSUL

IN PUNIENDIS CONJURATIONIS CATILINARIAE CONSCIIS

DISSEREBAT

THESIMQUE FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

GEORGIUS BERTRIN

IN ORDINE LITTERARUM AGGREGATUS

PARISIIS

L. SANARD LIBRARIUS

VIA DICTA DE SANCTO JACOBO, 174

—

1900

PROEMIUM

DE CONJURATIONE CATILINAE RES BREVITER COMMEMORANTUR

« L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque... Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat (1). »

Anno 687 U. c., 67 ante Christum, provinciam Africam pro praetore obtinebat. Consulatum vero avide expetebat. Itaque, in comitiis anni 66 (688 U. c.), suffragia populi petere statuit, ut, si bene res cederet, anno sequenti (65-689) uteretur consulis imperio et majestate. Erat tunc annos circiter duo et quadraginta natus. Fuerunt autem ejus consiliis adversi legati Africanorum, qui, cum Romam venissent eo tempore ut eum de repetundis accusarent, locum senatui dederunt sanciendi ne ante peteret fasces quam illa dilueret quae de peculatu objicerentur (2).

Comitiis habitis, renuntiati consules fuerunt A. Autronius Paetus, P. Cornelius Sylla. Sed cum vitio creati, propter ambitum, declarati essent atque in eorum locum essent suppositi

(1) Sall., *Catil.*, V.

(2) Errat Sallustius cum, postquam narravit «Autronium et Sullam designatos consules legibus ambitus interrogatos poenas dedisse », addit : « *Post paulo* Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat consulatum petere. » In ipsis enim comitiis, in quibus creati consules fuerunt Autronius et Sulla, consulatum petere prohibitus est Catilina.

L. Aurelius Cotta, L. Manlius Torquatus (1), dicuntur illi constituisse mortem his eo ipso die inferendam quo consulatum inirent, ipsis Kalendis Januariis proximi anni (65-689).

In eadem noxa fuit Catilina. Cum vero indicia rei emanassent, firmoque cum praesidio ad Capitolium venissent consules, perficiendo incepto via tum non patuit, inque diem quintam Februarii consilium caedis translatum est. Si res pulchre tum caderet rerumque potirentur conjurati, Crassum dictatorem futurum fuisse, Caesarem vero magistrum equitum narrat Suetonius (2); Sallustius autem testis est Catilinam et Autronium, consulibus interfectis, fasces sibi fuisse correpturos (3).

Ex quo Sallustii loco verisimile est P. Syllam, postquam inane coeptum Kalendis januariis evasisset, fracto animo, Catilinae partes cessisse.

Iterum vero, die dicta, consilium diremptum est, sive, deficiente Crasso, signum dare Caesar non ausus est, ut ait Suetonius, sive, Sallustio si credere malis, Catilina maturavit pro curia signum sociis dare, cum nondum frequentes armati convenissent. Illa dicitur prior conjuratio Catilinaria.

Interea Catilina in crimen repetundarum vocabatur, non jam ab Africanis, sed a Clodio, qui se in eorum locum eo consilio constituisse videtur ut minus graviter quam par esset cum reo ageretur. Hunc Cicero ipse defendere tum cogitabat (4). Sperabat enim cum eo, si judicio absolutus esset, uno conatu se consulatum petiturum esse in comitiis anni 64 (690 U. c.). Re ipsa tamen non defendit; quam ob causam incertum est. Causae autem patronum habere ausus est Catilina illum ipsum Manlium Torquatum consulem, quem paulo ante pene interfecerat.

Culpa tandem liberatus, consulatui statim studere aggressus est. Studebant autem simul Tullius Cicero et C. Antonius Hybrida, Marci Antonii oratoris filius, illiusque, qui postea

(1) Sine ulla alia petitione, ut videtur; Cotta et Torquatus consulum evictorum fuerant competitores.
(2) *Caesar*, 9.
(3) *Catil.*, XVIII.
(4) *Ad Attic.*, I, 2.

triumvir exstitit, patruus. Coitione cum isto facta, faventibus etiam Crasso et Caesare cum popularibus cunctis hominibus, confidebat Catilina fore ut omnia ex sententia succederent. Sin aliter, fama erat eum paratum esse ad id, quod petitione consequi non potuisset, artibus malis et vi consequendum.

Quo rumore commoti, Patres conscripti legem ferendam curarunt, qua ambitus severius cohiberetur. Obstitit Mucius Orestes, tribunus plebis. Tum Cicero, jam toga candida more candidatorum iudutus, vehementem in curia orationem contra Mucium Orestem habuit, neque Catilinae pepercit, ita patefactis ejus facinoribus, ut simul non Antonium tantum, sed etiam factionis popularis principes, verbis austeris et gravissimis haud obscure peteret (1). Favit tum senatus petitioni Ciceronis pro quo, novo homine, antea dubitabat quin staret.

Oratione illa gravi omissa, memorat Sallustius Patres eo vehementer esse commotos, quod Fulvia, Curii, qui in ea conjuratione erat, amica, narravisset compluribus quae quoque modo de Catilinae conjuratione audivisset. « Ea res in primis, inquit, studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni (2). »

Comitiis igitur habitis, declarati sunt consules, Cicero plurimis suffragiis, Antonius majore numero, ita tamen ut paucis tantum minor Catilina caderet.

Quod hic aegerrime ferens, tum sui esse consilii profitetur ut in comitiis anni sequentis (63-691) consulatum petat, tum ad patranda facinora, majore etiam quam antea studio, se occulte parat. Multos assumit in societatem sceleris, Cornelium Lentulum Suram, praetorem designatum, Cethegum, L. Cassium Longinum, Ciceronis competitorem, in ratione petitionis, aliosque homines ad audendum projectos.

(1) Exstant illius orationis reliquiæ multæ cum enarrationibus valde utilibus Asconii; haec orationis inscriptio est : *M. Tullii Ciceronis in senatu in toga candida contra C. Antonium et L. Catilinam competitores.* V. Koetschau : *De M. Tullii Ciceronis oratione in toga candida habita,* Lipsiae, 1880.

(2) *Catil.*, XXIII.

Cicero autem, ubi Kalendis januariis fasces sumpsit, ad duo mentem vertit consilia : ut ipse, comitante magno amicorum praesidio, conjuratorum gladium effugeret, ac quid facerent illi, quid pararent, notum haberet atque compertum. Macedoniam, provinciam ditissimam anno proximo gubernandam Antonio collegae ea mente reliquit, ut eum conjuratione abalienaret.

Interea homines populares, qui Catilinae favebant, impedimenta consuli inferre senatumque una lacessere conabantur. Neque enim fuit alia mens illis, cum et legem P. Servillii Rulli de re agraria suaserunt, et fecerunt ut Rabirius, qui Saturnino, postquam eum senatus capite damnavisset, manus olim intulisse dicebatur, per T. Labienum, tribunum plebis, accusaretur.

Per aliquot tamen menses Cicero et Catilina, ducibus militum similes se ad pugnandum parantibus, silentes adversaria consilia explorare visi sunt; neque vero abstinebant, quin agerent. Nam Catilina non modo non « quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiæ deerant; namque a principio consulatus sui, multa pollicendo, per Fulviam effecerat ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet (1). »

Jam autem non longe ab eo die aberant quo in comitiis consules crearentur, cum forte in curia « Catoni judicium minitanti ac denuntianti respondit Catilina si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua sed ruina restincturum (2). »

Paulo post, « frequenti senatu, Catilinam excitavi, inquit Cicero, atque eum de his rebus jussi, si quid vellet, quae ad me allata essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit, tum enim dixit : duo corpora esse reipublicae, unum debile, infirmo capite ; alterum

(1) Sallust., *Catil.*, XXVI.

(2) Cic., *Pro Murena*, XXV. — Itaque perspicuum est erravisse Sallustium quum illa verba ad hunc diem retulit (*Catil.*, XXXI) quo primam illam habuit Cicero contra Catilinam orationem. Erraverunt etiam cum Sallustio Florus, II, XII, 7, et Valer. Max. 9, 11, 3.

firmum, sine capite : huic, quum ita de se meritum esset, caput, se vivo, non defuturum (1). »

Quibus quidem diebus haec et illa Catilina dixerit historici « certant et adhuc sub judice lis est ». Constat tamen, ante comitialem diem, Catilinam ea dixisse : illa ante eum diem qui primum comitiis habendis esset constitutus, haec, eo ipso die ; non est enim obliviscendum pridie ejus diei Ciceronem comitia distulisse in aliud tempus, ut in senatu de his rebus interea ageretur. Ad mensem autem Julii comitia consulibus cooptandis haberi moris erat. Ideo, ea quae retuli, mense Julii facta esse sunt qui arbitrentur, quum alio tempore primum habenda fuisse comitia nihil sit indicio.

Plerique vero, mense Octobri, eadem evenisse credere malunt, quia in posteriore Octobris parte reipsa habita esse constet comitia, habita esse autem illa paulo post eum, quo dilata fuissent, diem, ex oratione illa Mureniana videantur (2).

(1) Cicer., *Pro Murena*, XXV.

(2) Postquam retulit Cicero ea quæ commemoravi Catilinae verba, « his, inquit, rebus commotus... descendi in Campum... omnes ad Murenam se contulerunt. » (*Pro Mur.*, XXVI.) Videntur errare qui, ut Antoine (*Salluste*, Paris, 1888, p. 92), eodem die credunt Ciceroni Catilinam dixisse verba illa gravissima, et Patres senatusconsultum ultimum contra eum fecisse. Cicero enim in eodem orationis Murenianae loco queritur Patres nihil fere egisse nisi ingemiscerent, atque ita se gessisse ut Catilina e curia egrederetur triumphans gaudio.

Quo vero die habita sint comitia atque consules Silanus et Murena creati sint, non satis est certum. De qua re nullum ex Sallustio sumere licet documentum ; Sallustius enim ne dilata quidem esse ad aliud tempus comitia curavit ut diceret. Eadem, inter recentes, alii alio tempore habita esse scripserunt.

J.-B. Mispoulet quidem nuper in eam sententiam disputavit ut ea esse habita certum esset ante diem vigesimam primam Octobris, verisimile vero mense Septembri. At inter alia, quibus illud legenti probetur, hoc affert quod milites Mallii, qui die vigesima septima Octobris arma in Etruria moverint, die quo creati sunt consules Silanus et Murena, Romae fuisse ex Plutarcho constet. (*Cic.*, XIV.) Minime autem constat. Dicit enim Plutarchus Malliani milites Romam venisse die comitiali, sed a Cicerone comitia in aliud tempus fuisse dilata. Haud jure igitur ille allatus est Plutarchi locus. Adde quod idem Plutarchus (*ibid.*) narrat mota esse in Etruria arma paulo post quam habita comitia essent. Quod sane obstare credas quominus mense Septembri ea habita fuisse existimentur.

Rursum acta illa esse die vigesima octava Octobris, ut volunt Antoine (*op. cit.*, p. 91) aliique, parum verisimile videatur perpendenti posteriorem eum Plutarchi locum, eidemque cogitanti quam graviter, neque

Statuto autem, qualiscumque fuit, die comitiorum, Cicero, cum certior factus esset vitae suae atque Silani et Murenae a Catilina insidias parari, descendit in Campum, ut ejus verbis utar, cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum, et cum illa lata insignique lorica non quae eum tegeret (etenim sciebat Catilinam non latus aut ventrem sed caput et collum solere petere) verum ut omnes boni animadverterent, et, cum in metu et periculo consulem viderent, ad opem praesidiumque ejus concurrerent (1).

Catilina vero jam tum suos cum gladiis in Campum adduxerat. Quo viso, neque non fortasse profusa largitione commoti, qui suffragium inibant a Catilina statim abhorruerunt ut ad Murenam se conferrent.

Hanc vero repulsam ita tulit ille ut, ira frendens, quae paravisset ea jam maturaret. Statuerat enim fore in armis Mallium ante diem VI Kalendas Novembres, et caede optimatum in ante diem V Kalendas collata, se Praeneste, si bene res cessiset, Kalendis ipsis Novembribus, nocturno impetu, esse occupaturum. At eorum nihil Ciceronem latuit. Quinetiam, ea nocte quae fuit ante diem vigesimam primam Octobris, ad eum venerunt haud tenues viri, qui ei litteras sibi missas afferrent, ex quibus eadem nefaria Catilinae coepta certiora efficerentur; in his viris Crassus ipse erat (2).

Orto igitur die, Patres coegit consul. Qui, periculo commoti jam manifesto, consciverunt ut viderent consules ne quid res publica detrimenti caperet (3). Jussi sunt statim a consule Mar-

non stulte, consulatus petitionem Catilina esset periclitatus, si tum suis ad arma contra rem publicam conclamare permisisset.

Itaque credere malunt alii creatos esse consules die vigesima aut vigesima secunda Octobris.

De die igitur controversia est, ita tamen ut si ad vigesimam Octobris, vel ea quidem ipsa die, vel paulo ante vel paulo post, rem actam esse putes, ad veritatem proxime accedere videaris.

(1) *Pro Murena*, XXVI. — Cf. Plutarch., *Cic.*, XIV.

(2) Cic., *Pro Murena*, XXVI. — Cf. Plut., *Cic.*, XV. Rem Sallustius indicare omisit, gravem tamen et dignam quae indicaretur.

(3) Senatusconsultum illud, quod dicitur ultimum, tum factum esse putare videtur Sallustius cum jam conjurati apud Laecam convenissent, postquam Cornelius et Vargunteius consulem interficere tentavissent,

cius Rex et Metellus Creticus, qui ad urbem exspectabant dum triumpharent, proficisci ad bellum, ille in Etruriam, hic in Apuliam. Simul missi praetores, Pompeius Rufus Capuam, Metellus Celer in agrum Picenum, eisque permissum ut, pro tempore et periculo, collecto milite, exercitum compararent.

Domi vero cautum est ut per totam urbem vigiliae haberentur eisque minores praeessent magistratus; si quis autem indicasset de conjuratione, quae contra rem publicam facta erat, praemium fore servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem ejus rei et sestertia ducenta ex senatusconsulto constitutum est.

Neque ipse Catilina sedebat iners. Ubi enim parata cuncta sunt, convocatis ad Porcium Laecam quibus primae partes erant in conjuratione, ultima mandat, nuntiatque se die sequenti Roma exiturum, ut Malliano militi se ducem praestet, neque tamen tranquillo fidentique animo profecturum nisi antea Cicero e medio sublatus fuerit.

Nec mora. Rem suscipiunt agendam Cornelius et Vargunteius, ita quidem ut ipso mane surgentem lecto consulem domi interficiant (1).

Illa autem omnia, ea ipsa nocte qua facta sunt, ante diem septimam Novembris, accepit a Fulvia consul et comperta habuit. Statim igitur domum suam majoribus praesidiis munivit, atque Cornelium et Vargunteium, quum ad eum sicuti salutatum venerunt, janua prohibuit et exclusos dimisit.

Deinde senatum coegit cui rem patefaceret; coegisse autem ipsa eadem die septima Novembris alii existimant, alii die postera (2). Convocati sunt igitur Patres in aedem Jovis Sta-

atque in Etruria arma movisset Mallius. In quo errare eum manifestum est vel ex Plutarcho, qui ex ordine, conservatis notatisque temporibus, cuncta illa exponit.

(1) Non Cornelium neque Vargunteium nominat Plutarchus (*Cic.*, XVI) sed Marcium et Cethegum. Cicero autem (*I Cat.*, IV), neglectis nominibus, dicit tantum duos equites romanos domum suam venisse ut se confoderent. Sallustius vero docet Cornelium fuisse equitem, Vargunteium vero senatorem. Videntur consulis vitae non semel factae esse insidiae. Inde forsitan non eadem ab omnibus nomina afferri intellexeris.

(2) Cum prioribus sentit Thiaucourt, ut unum e nostris nostraeque aetatis tantum appellem. (*Etude sur la conjuration de Catilina de Salluste.*)

toris, locum munitissimum, praesidiis ubique collocatis, atque ita facto omnium bonorum concursu, ut consulentibus Patribus nihil esset pertimescendum.

Neque tamen defuit Catilinae animus ille audax : venit enim in senatum. Tum, secedentibus ab eo tanquam a peste quadam Patribus cunctis ut pars illa subselliorum, ad quam accessisset, nuda atque inanis relinqueretur, commotus ira consul, in illa celeberrima verba erupit : « Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? »

Notissima est tota illa quae dicitur prima Catilinaria. Porro ea erat dicenti consuli mens ut Catilinam egredi urbe cogeret, neque ullum tamen contra eum decretum fieret, quo vim injustam pati visus, magis atque magis faventi civium voluntate uteretur.

Neque aliter se res habuit. Ea enim nocte, quae consecuta est, exivit Catilina atque, cum fascibus et aliis imperii insignibus, in castra ad Mallium contendit.

Postero autem mane, ut populum a partibus fugientis removeret, consuli nihil potius fuit quam ut, habita oratione, quae facta essent singula narraret et diligentissime explanaret. Negavit enim a se in exsilium ejectum esse Catilinam, sed diligentia consulis perterritum abiisse, excessisse, evasisse, erupisse (1).

(1) Sallustio, cum de prima catilinaria oratione paucissima haec tantum scriberet : « M. Tullius consul orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae (XXXI) », ceteras tres omittere placuit. Cujus rei eam esse causam J.-B. Mispoulet arbitratur quod, cum multa ex illis Sallustius excerpserit, praesertim ex quarta, qua sola ad orationem Catonis confingendam usus sit, illum non juverit in periculum se venire ne ex quibus fontibus sumpsisset plurima indicaret.

Quod quidem mihi non probatur. Propius enim ad veritatem accedere videatur qui putet eo Sallustium illa omisisse quod, vel parum Ciceroni faveret, vel, cum unam tantum in utramque partem afferre orationem more suo vellet, praetermissis Tullii verbis, orationi Caesaris illam Catonis mallet opponere orationem, quae reipsa ad mortem decernendam plurimum valuerit.

Orationes illas catilinarias nemo nescit nostra quidem aetate in dubium ita esse vocatas, ut Ciceronis esse negarent alii quartam, alii tertiam, alii secundam, alii vel ipsam primam, iis tamen fulti argumentis ut, quod antea, idem nunc vulgo de illis orationibus sentiendum putetur.

Paucis post diebus, senatus Catilinam et Mallium hostes judicavit, atque contra eos exercitum ducere Antonius consul jussus est, dum Romae Cicero publice provideret.

Roma enim in via praecipiti et lubrica versabatur. Nam proficiscens Catilina conjuratis mandaverat opes factionis confirmarent, insidias consuli maturarent, caedem, incendia, aliaque belli facinora pararent; illis vero ea mens erat, ut mandata quam diligentissime efficerent.

Itaque constituerant ut, quam primum cognovissent Catilinam pervenisse Fesulas, Lentulus et Cethegus, sicis sub veste armati, fores Ciceronis summo mane peterent, et propter dignitatem facile admissi, nescio quid cum eo colloquerentur in vestibulo, eumque longius a suis seductum confoderent (1); statim vero, postquam Bestia, tribunus plebis, apud populum accusasset Ciceronem, hominem natura timidum, civitatem temere perturbasse, nocte alii Urbem duodecim locis incenderent, rapinisque et optimi cujusque civis caedibus omnia miscere inciperent (2).

At paulo post consilia mutavisse videntur. Nam, quum circa Kalendas decembres ad Laecam se contulissent, invito Cethego, cui id longum habebatur, rem Saturnalibus tantum fieri majori parti placuit; neque enim aliud esse putabant magis idoneum tempus (3).

Consul vero non mediocrem adhibebat vigilantiam. Dixerat jam Catilinae in senatu, die vigesima prima Octobris : « Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient... teneris undique; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia (4). » Atque id falso non dictum esse res comprobavit.

Quidam enim legati Allobrogum, qui magistratus suos

(1) Non ita illud discrepat ab eo quod tentatum esse ante Catilinae fugam jam retuli, ut idem non esse, mutatis tantum nominibus, certum habeas.

(2) App., *De bell. civ.*, II, 3.

(3) *III Cat.*, IV, vii.

(4) *I Cat.*, II, iii.

accusatum venerant, in conjurationem pellecti sunt, ut Gallos commoverent contra rempublicam. Ii vero, ancipites consiliis, rem cum Fabio Sanga communicant, suae civitatis patrono.

Tum Fabii indicio monitus, Cicero praecipit ut Allobroges a conjuratis postulent jusjurandum, quod signatum ad cives perferant; aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Quod cum conjurati nihil suspicati dedissent, facultatem sibi oblatam putavit consul ut, quod erat difficillimum, quodque vehementissime semper optabat, tota res non solum a se sed etiam a senatu et a populo manifesto deprehenderetur.

Itaque paulo post, tertia fere vigilia exacta, quum jam pontem Milvium, magno comitatu, legati Allobrogum ingredi inciperent, fit in eos impetus; litterae, quaecumque erant in eo comitatu, integris signis, praetoribus traduntur, hominesque comprehensi, ad consulem, cum jam dilucesceret, deducuntur.

Cogitur statim senatus in templum Concordiae, adductisque Gallis atque conjuratis, tabellae proferuntur, recitantur; quid multa? Exponuntur atque eduntur indicia. Itaque, gratiis amplissimis consuli actis, senatus ita censuit ut Lentulus Cethegusque in custodiam traderentur.

Misso vero senatu, tertiam contra Catilinam orationem consul habuit ad populum, quem, tota re exposita, alienum jam a Catilina ejusque sociis efficeret. Quod ex ejus sententia successit.

Die perendina, quae fuit quinta Decembris, Patres in templum Concordiae advocavit, ut quae poena a Lentulo ceterisque sumenda esset decernerent. Silanus, consul designatus, primus ex more rogatus est. Postquam reos ultimo plectendos esse supplicio censuerat, eique multi alii assensi erant, Caesar mortis poenam removit; publicatisque bonis, conjuratos vincula pati eaque sempiterna jussit. Quae sententia plurimis statim probari visa est.

Tum consul illam habuit quae quarta dicitur inter catilinarias orationes. Qua in Silani partem cum iisset, vehementiusque Cato, Caesare haud obscure vocato in suspicionem, idem

se sentire professus esset, idem ipse senatus frequens censuit. Damnati igitur rei capite.

Nec mora. Ne quid nefarium auderet multitudo conjurationis conscia, quae tum in foro incerta consilii versabatur et sibi quoque metuebat, damnatos e domibus in carcerem deduxit consul atque, ignorante plebe, in conspectu suo necari jussit: deinde in forum progressus, vixisse eos pronuntiavit. Tum festis vocibus exceptus est, decedentemque domum cum favore ac laudibus prosecuti sunt.

Qui vero pro Catilina stabant, fracti animo, dilapsi sunt, dumque Romae sedebant silentes, quasi terra conditi, in Etruria Catilinae exercitum multi deseruerunt.

Ipse vero, ut erat fortis animoque indomito, fortunae malae cedere noluit, inque agro Pistoriensi, tentata belli sorte, strenui militis et boni imperatoris officia simul exsecutus, « longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paululum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivus, in voltu retinens (1). »

In illa tanta conjuratione opprimenda, in puniendis Lentulo, iisque qui in eadem noxa erant, magnae fuerunt Tullii consulis partes. Itane tum egerit ut eum cum quibusdam reprehendi jure velis, ea ipsa res est de qua hic jam sum disputaturus.

Videtur porro mihi tum *legitime* tum *prudenter* se gessisse. Quod utrumque ex ordine explicare, atque, si facultas erit, probare incipiam.

(1) SALL., *Catil.*, LXI.

PARS I

LEGITIME MULCTATOS MORTE FUISSE A CICERONE CONSULE CATILINARII FACINORIS SOCIOS RECTE EXISTIMES

CAPUT I

QUALE FUERIT ROMAE DE CIVIBUS PUNIENDIS JUS ORDINARIUM ET COMMUNE PAUCIS VERBIS REFERTUR

Nemini dubium est quin, Ciceronis tempore et jam diu, ex consuetudine et lege comitiorum officium et munus esset de publicis civium causis judicium exercere; quae, si caput in periculum adducerent, ad comitia illa centuriata pertinebant.

Tria enim erant Romae comitiorum genera : *curiata*, *tributa*, *centuriata*. Porro in curiatis jus suffragii solis Patriciis fuisse videtur (1).

In tributa vero, ex eo quod in locum conciliorum plebis, post decemviros, habita fuerunt, consequens fuit ne Patricii admitterentur, neque ex jure admitti soliti sunt (2).

Plebem autem in suis conciliis de capite civium judicium exercere vetuit lex tabellaria (450 ante J.-C.), cum antea ab ea sibi assumptam fuisse illam facultatem vel ex judicio Coriolani constet. Jam tum in comitiis tributis de iis tantum criminibus

(1) Ita sentiunt Niebuhr, Becker (II, 1, 300, n° 611), Marquard, Lange. Alii existimant jus suffragii plebi etiam fuisse, idemque ab initio ; in quibus est Mommsen, Dionysium Halic. secutus.

(2) Ex jure, inquam. Nam reipsa in comitiis tributis universus saepe adfuit populus.

agi solitum est, pro quibus reo damnato pecunia irrogaretur.

Graviora judicia fuerunt comitiorum illorum centuriatorum, quorum habitam esse amplissimam in republica potestatem ex eo colligas quod dicerentur tum *comitia justa*, tum *comitiatus maximus*, tum *verus populus in Campo Martis* (1). Nam in Campo Martis gerebantur, neque initio aliud fuisse videntur nisi populus ipse in armis constitutus, cui praeesset dux imperio militari praeditus; unde fit ut « exercitus quoque urbanus », vel brevius « exercitus » illa appellarentur (2).

Neque immerito *verus populus* etiam dicta sunt, cum populum universum, plebem et Patricios cum clientibus, in eis adesse et suffragia sciscere XII Tabulae jusserint.

Ad illa igitur tantum comitia cives Romanos vocari licebat, si quis eorum reus fieret criminis, quo confirmato, vita, libertate aut civitate privandus esse existimaretur.

Jam anno 507 (a. J.-C.) lex Valeria *de provocatione ad populum*, sanxerat « ne quis magistratus civem romanum adversus provocationem necaret verberaretve (3) ».

Qua in re, non solum provocari posse ad populum, sed etiam unius populi judicium esse XII Tabulae (450 a. J.-C.) iis verbis statuerunt : « De capite civis, nisi per maximum comitiatum ne ferunto (4). » Quod minime obsoletum fuisse tempore Ciceronis a Cicerone ipso accepimus (5).

Idem jus provocationis aliis postea legibus sancitum esse constat : lege altera Valeria (300 a. J.-C.), de qua quidem pauca nota habemus, et tribus legibus Porciis, quae, quid aperte statuerint vel quo tempore vere latae fuerint, non satis liquere fatendum est. Non est tamen dubium, quin « condemnatis civibus

(1) Cic., *De leg.*, III, 19 § 44; *Post red. in sen.*, II, § 27; *Pro Sest.*, 50, § 108.

(2) Varr., *De Ling. Latin.*, VI, 9. — Gell., XV, 27 : « Centuriata comitia intra pomoerium fieri nefas esse, quia exercitum extra urbem imperari oporteat, intra urbem imperari jus non sit. Propterea centuriata in Campo Martio haberi... solitum. »

(3) Cic., *De Republica*, II, 31. — Cf. Liv., II, 8; Dionys., V, 70.

(4) Cic., *De Leg.*, III, 4, § 11; cf. 19, § 44; *De Rep.*, II, 36.

(5) Cic., *Pro Sest.*, 34, § 73; *De Leg.*, III, 19, § 45.

non animam eripi sed exsilium permitti juberent », ut ait Caesar apud Sallustium, atque gravem poenam comminarentur « si quis verberasset necassetque civem romanum ».

Et reipsa jam tum cives, rerum capitalium condemnatos, non morte mulctari sed eis aqua et igni interdici solitum est.

Postquam autem, vetantibus illis legibus, interfectus tamen fuit T. Gracchus, aliique post eum, Caïus, frater ejus, aliam, neque ab antiquis diversam, legem tulit (123 a. J.-C.) — quae quidem Sempronia dicta est — « Ne de capite civium Romanorum injussu populi judicaretur (1) ».

Non est igitur quod dubitemus quin lege juberetur a comitiatu Maximo tantum judicari civem Romanum, si forte de capite ejus anquireretur, quod de singulis illis intellegendum est poenis quibus aut vita, aut libertas, aut civitas amitteretur.

Sed jus illud ordinarium obstaretne quominus consuli liceret, accepta a senatu extra ordinem potestate, Catilinarii facinoris socios extremo afficere supplicio, quaeri potest et disputari.

Obstitisse quidem fere omnes existimant, neque me latet quam sit periculosum a tot tamque doctis hominibus de hac re disserentem discrepare (2).

Si tamen mente discrepo, liceat, quaeso, mihi malle contra ea quae alii senserint dicere quam contra ea quae ipse sentiam.

(1) Cic. *Pro Rabir. perd.*, 4 § 12. — Cf. Cic. IV *Catil.*, 5; I *Catil.*, 11; *In Verrem*, II, 5, 63; *Pro Cluentio*, 55. — Vell. Paterc. II, 7. — Aul.-Gell., X, 13. — Plutarch., *C. Grac.*, IV.

(2) Ut unum appellem, maximi quidem ponderis, haec scripsit Mommsen in sua Romana historia (trad. Alexandre, liv. V, ch. v, Paris, 1868, t. VI, p. 346) : « Jamais gouvernement ne se montra plus au-dessous de sa mission que la République romaine en cette nuit fatale, où la majorité du pouvoir, votant de sang froid, et avec l'assentiment public, disposa sans procès de la vie de détenus politiques, coupables et punissables devant la loi sans nul doute, mais qui, jusque-là, n'avaient point encouru la peine capitale, où on les tua en toute hâte, parce qu'on n'osait les confier à la prison, parce que la police régulière était impuissante. La tragédie dans l'histoire a presque toujours son côté comique : ici le trait à noter, c'est de voir le plus brutal et le plus tyrannique forfait s'accomplissant par la main du plus inconséquent et du plus timoré des hommes d'Etat de Rome; c'est de voir le « premier consul populaire » (expression de Cicéron dans le *De Lege agraria*, II) qu'ait eu la République, choisi en quelque sorte pour porter la main sur le droit d'appel, sur le palladium des libertés romaines. »

Omitto nomina, quaero argumenta; nomina quidem multa esse haud nescio et quaedam magna; argumenta vero pauca mihi videntur, eademque parum firma.

Quae quum mea sententia sit, quamvis paulo licentius sumpta haberetur, excusationi tamen fore spero mihi ingenue dicenti, si, tot virorum doctorum venia aliam atque illi sententiam ausim expromere, argumentisque confirmare, quantum potero, conatus fuerim.

CAPUT II

QUAEDAM EXTRA LEGES DE PROVOCATIONE LATAS IN USU LEGITIMO FUISSE CERTUM EST

Hoc primum est animadvertendum, quas memoravi leges, quamvis verbis generalibus uterentur, quaedam tamen permisisse quae vi legum aliarum vel usus exciperentur. Nam fuerunt profecto homines quibus civem romanum capite damnare sine provocatione liceret. Licuisse enim nemo negat et eis qui imperio militari fruerentur (1) et patrifamilias, cujus in filios, eosque cives, jus vitae et necis nullam pateretur provocationem (2).

Idem potuisse credideris Pontificem Maximum in Vestales virgines, si quae vota laesissent, earumque sceleris socios, quamvis cives essent romani (3).

(1) Polyb., vi, 12, 5; Cic. *De Repub.*, I, 40 : « Noster populus in pace et domi imperat... in bello sic parit ut regi. » — Cf. *De Leg.*, III, 3; Tit. Liv., III, 20, xxiv, 9. At Romae imperium militare exerceri non poterat; illud si quis haberet, ingressus urbem exuebat, donec intra moenia esset.

(2) Dionys., II, 26; VIII, 79; Aul.-Gell., V, 19, § 9.— Ante Augustum principem eosque qui post eum principatum obtinuerunt, patriam potestatem nulla unquam lege coangustatam fuisse in confesso est.

(3) Aliter sentiunt pauci tantum, uno fulti Asconii loco (*In Mil.*, p. 46). — Solebat tum Vestalis virgo viva deponi, socius autem sceleris virgis usque ad mortem caedi. Cf. Liv., IV, 44, VIII, 15, XXII, 57; Dionys.,

Neque a judicibus *quaestionum perpetuarum* appellari solitum est. Fuerat prima quæstionum illarum lege quadam C. Calpurnii Pisonis instituta (147 a. J.-C.). Mox vero ita in consuetudinem venerunt ut, vi et potestate magis et magis aucta, in publicis judiciis exercendis primario fere loco fuisse videantur (1).

Quas sine provocatione sententiam tulisse, hoc indicio habendum est Antonium conatum fuisse ut provocatio in quaestionibus *de vi et majestate* admitteretur (2). Atqui, si de crimine gravi ageretur, reo damnato aqua et igni interdicere illae consueverunt (3).

Qua poena caput esse jure deminutum, ut de aetate imperatorum certum est, ita de temporibus quae antea fuerunt probabilissimum. Ceterum, si jus ipsum omiseris, re quidem nullo modo neges eum, cui aqua et igni sic interdiceretur, civitate eo ipso privari, quod jam minime illa uti posset. Hanc igitur poenam illa contineri, saltem ut causa aliqua continetur id quod pendet ex illa, nemo est qui non fateatur.

Porro amissionem civitatis seu capitis deminutionem poenam capitalem habitam esse liquet. Scripsit enim Ulpianus : « Rei capitalis damnationem sic accipere debemus ex qua causa damnato vel mors, vel etiam civitatis amissio, vel servitus contingit (4). »

Immo legem pertulit Pompeius (54 a. J.-C.) ut de parricidio

VIII, 89, IX, 40, etc. Plerumque Pontifici Maximo rem judicare placebat de collegii sententia ; sed vi legum judex unus erat constitutus, unusque jure vitae et necis fruebatur.

(1) Notum est quaestionibus illis perpetuis singulis singula quaedam assignata fuisse quæ judicarentur, sedisse autem in tribunali judicem atque assessores quotannis mutandos.

(2) Cic , *Philipp.*, I, 9. De re convenit inter omnes. Cf. Maynz. *Cours de droit Romain*, 4ᵉ édit., Bruxelles, 1876, I, p. 175; Mommsen, *Manuel des Antiq. Rom.*, traduit sous la direction de Humbert, I, 222, nº 6 ; Willems, *Le droit pubic romain*, Louvain, 1874, p. 338.

(3) Adscribebatur poena illa criminibus incendii, veneficii, peculatus, ambitus. — Cf. Cic., *Pro Murena*, 23, 41 ; Valer. Max., VI, 5, 3 ; Dio Cass., XXXVII, 29, XLIII, 27. Singulis illis criminibus cognoscendis singulae, ut dictum est, institutae fuerant quaestiones perpetuae.

(4) Ulp., *Fragm.* 2 pr. D., *De poenis*, 48, 19 ; pr. 2, D., *De publicis judiciis*, 48, 1.

etiam quaestio perpetua institueretur; erat autem poena parricidii mors (1).

Ergo, non obstantibus de provocatione legibus, judicibus quaestionum perpetuarum atque etiam cui esset imperium militare, et patrifamilias, et Pontifici Maximo, de capite civium agere licebat. Ex quo recte colligas eas leges eo sensu esse intellegendas, ut de capite civium agi sine provocatione generatim vetarent, exceptis videlicet iis judicibus quibus vi legum aliarum, vel tantum usus, jus illud constitueretur.

Nam in ea vetere republica, quod praesertim ad jus publicum, vel, ut posterius dictum est, poenale attinet, non in unum quoddam corpus leges coaluerunt, ita perfectum et partibus sibi constantibus absolutum, ut sicut ζῶόν τι natum esse videretur; sed aliae leges aliis legibus moribusque ipsis temperatae circumscribebantur, neque eas recte interpreteris nisi ad illas alias leges moresque diligentissime attenderis.

Hoc igitur tantum quaerendum est nobis, utrum moribus concederetur necne Patribus Conscriptis ut, Republica in angustias vertente, jus vitae et necis in cives consulibus tribuerent.

CAPUT III

QUAM RECTE CREDIDERIS SENATUI FACULTATEM FUISSE UT JUDICIARIAM QUAMDAM POTESTATEM EXTRA ORDINEM TRIBUERET

Licitum esse senatui judiciariam potestatem aliquando tribuere haud dubium est quin moribus confirmetur. Quod ut perspicuum fiat, haec primum referam — neque multis tamen verbis — in quibus quidem potestatem illam adversus homines civitate carentes exercitam fuisse fatendum est referenti.

(1) Hoc moris fuisse notum est ut parricidae, sacco inclusi cum gallo, cane, simio, vipera, in mare conjicerentur.

Ejusmodi igitur potestas Genucio et Cornelio consulibus a senatu tradita esse fertur « in Frusinates... quod Hernicos ab iis sollicitos compertum; capitaque conjurationis ejus, quaestione ab consulibus ex senatusconsulto habita, virgis caesi ac securi percussi (1). »

Neque alio modo in Etruscos Umbrosque, tempore Asdrubalis, « ex senatusconsulto consules quaestionem habuerunt (2). » Paulo post, M. Cornelio consuli dedit negotium senatus ut in nobiles Etruscos de rebellione inquireret; qui, inquisitione facta, damnati sunt.

Idem posterius in Gallicam quamdam gentem actum esse legimus (3).

Deniqne, ne pluribus morer, habitis Setiae, non longe ab Urbe, servorum consensionibus, L. Cornelius Merula a senatu mandatum accepit ut eos qui peccavissent conquireret, captosque damnaret. Quo ille facto, neque multo post, eadem usus potestate, Praeneste de quingentis fere hominibus, qui in ea noxa essent, supplicium sumpsisse narratur (4).

At dicet forte aliquis de servis tantum aut exteris gentibus tum actum esse, minime de civibus romanis.

Neque sane nego; illis vero rebus commemoratis, hoc solum probatum legenti volui eum fuisse senatum, qui judiciaria jura, nonnulla quidem, delegare posset. Jam vero alia sunt afferenda ex quibus jura eadem vel in ipsos cives exercenda illum mandare potuisse pareat.

Quo igitur tempore bellum cum Carthaginiensibus Scipio gerebat, cum exercitus argueretur quaedam in Sicilia facinora commisisse, ex senatusconsulto missi fuerunt decem legati cum praetore. Qui, ubi in Siciliam venerunt, Pleminium, unum ex ducibus, « et ad duo et triginta homines cum eo damnaverunt atque in catenis Romam miserunt... Pleminius, quique in

(1) Tit. Liv., X, 1.
(2) *Ibid.*, XXVIII, 10.
(3) *Ibid.*, XXXIX, 3.
(4) *Ibid.*, XXXII, 26.

eadem causa erant, postquam Romam est ventum, extemplo in carcerem conditi (1). »

Iis ergo legatis tantam potestatem delegare potuerat senatus ut cives romanos, eosque optimos, ut Pleminium, damnarent atque in vincula conjicerent.

Accepimus etiam, Catonis majoris aetate, cum quidam magistratus ab Hispanis accusarentur, et senatum mandavisse ut judiciaria inquisitio fieret, et reos duo, gravissimis obrutos criminibus, satius habuisse a patria exire quam apud legatos senatus poni ut interrogarentur, atque in probabilissimum damnationis venire periculum (2).

Quod quidem est diligenter animadvertendum. Nam illos neque rejectionem judicum fecisse, neque provocasse ad populum, perspicuo indicio habeas oportet quod existimaverint legitima potestate legatos uti, jusque legibus moribusve senatui fuisse ut suum eis munus injungeret.

Idem fere sub tempus, res quaedam evenit de qua sic scripsit Cicero (3) : « Memoria teneo... accidisse ex senatusconsulto ut P. Scipio et D. Brutus (ut opinor) consules de re atroci magnaque quaererent. Nam quum in silva Sila facta caedes esset, notique homines interfecti, insimulareturque familia, partim etiam liberi, societatis ejus quae picarias..... redemisset, decrevisse senatum ut de ea re cognoscerent et statuerent consules. »

Mandat igitur senatus ut consules cognoscant statuantque, et de re quidem ita gravi ut poenae maximae rei sint obnoxii, inque tam liberos quam servos, inter quos non quidquam pensi habet utrum cives sint necne : quod ceterum non ante scire poterat quam quæreretur. Neque tamen mandare dubitat.

Et revera non alii atque illi qui ab eo mandata acceperant reos judicaverunt; iidem, audito Laelio eorum patrono, rem protulerunt, neque semel tantum, et tandem, postquam vehementer

(1) Tit. Liv., XXI, 21 et 22.
(2) *Ibid.*, XLIII, 2.
(3) *Brutus*, XXII.

causam pro eis dixit Galba, qui Laelio tum adjutor erat constitutus, a quaestione liberatos miserunt.

Qua etiam in re, cum neque rei neque eorum patroni opposuerint jus a senatu non lege usurpatum esse, non lege judices fuisse constitutos, certissimo esse signo recte existimaveris nihil prorsus eis fuisse cur illam senatus potestatem ullo modo dubiam haberent.

Neque pauca hujusmodi, ea aetate, evenerunt. Nam praeterquam ex senatusconsulto Q. Naevius Matho, praetor, de veneficiis quibusdam ita quaesivit, atque ad duo hominum millia damnavit, ut, nulla civium et ceterorum distinctione per senatum facta, neque ipse distinxisse videatur, hoc certe memorandum est quod de Bacchanalibus facinoribusque per Bacchanalia nocturno tempore perfectis narratur fecisse senatus (1).

De Bacchanalibus enim sacrisque nocturnis quaestionem extra ordinem consulibus mandavit. Conjurasse autem supra septem millia virorum et mulierum dicebantur. Deprehendi igitur jussi, vi mandatae potestatis, principes conjurationis, Marcus et Caius Attinius, adducti sunt ad consules, confessique statim judicati fuerunt. Multi etiam cum eis necati, multique in vincula conjecti (2).

Quid plura? Argumentum hic habes firmissimum atque gravissimum, cum inter tot millia hominum romanorum, qui voluptuaria quaererent, non defuisse cives, immo multos fuisse, certum sit habendum, neque tamen, tot civibus vi potestatis a senatu datae interfectis, ulla fuerit intercessio, ulla appellatio comitiorum, ulla ad populum provocatio.

Ex quo est colligendum ita omnes tum sensisse ut jure suo, in re illa, senatum usum esse putarent (3).

(1) Refert Titus Livius (Cf. Val. Max., II, 53) veneficia multa Urbi bis timori maximo fuisse, potestatemque quamdam extra ordinem a senatu bis quoque esse mandatam. Porro inter eos qui Ciceronem dicunt in socios Catilinae vitiose egisse, sunt, ut Carolus Maynz (*op. cit.*, I, p. 160) qui illam potestatem non minus vitiose fuisse datam existiment.

(2) Tit. Liv., XXXIX, 14-19. Narrat idem Titus Livius (XL, 19) aliud ejusdemque generis de Bacchanalibus mandatum a senatu fuisse datum — vitiose etiam, si Carolo Maynz crederes.

(3) Hinc patet, atque ex eis quae dicenda sunt magis magisque

CAPUT IV

DE SUMMA DICTATORUM VEL IN CIVES ROMANOS POTESTATE

Ponendum puto dictatori summam fuisse judiciariam etiam in cives potestatem belli domique, neque eum fuisse a quo ad populum provocaretur. Quod ut confirmem, allatis primum argumentis, adversaria deinde evertere tentabo.

I. — *Afferuntur argumenta.*

Primum testes rei habemus scriptores antiquos. Scripsit enim Titus Livius (1) : « Neque provocatio erat (a dictatore) », et paulo infra : « Dictatorem, a quo provocatio non est, creemus. » In libro etiam sequenti legimus « sine provocatione dictaturam esse » (2).

Neque aliter Pomponius sensit de dictatoribus, « a quibus, inquit, nec provocandi jus fuit et quibus etiam capitis animadversio data est » (3).

Haec autem quam vera sint verba ex rebus ipsis constare enixurus sum ut pro certo habeas. Anno enim 436 (a. J.-C.), non alio consilio creatus est dictator Quinctius nisi ut consulibus eo antecelleret quod minime foret « constrictus legibus de provocatione » (3).

Eadem fere aetate, cum deprehendi jussus esset ab A. Cor-

patebit, ut mihi quidem videtur, Polybium, cum nulla jurisdictione in causis capitalibus, nisi de populi sententia praeditum fuisse senatum ponat, vel errare, vel, quod probabilius credideris, verbis uti ita interpretandis ut quod fuerit ordinarium affirmet, non autem neget extra ordinem, in periculosis temporibus, jus senatui fuisse etiam de capite civium mandandi, quod fuisse ei reipsa jam habemus compertum.

(1) II, 18.

(2) III, 20.

(3) *Digest.*, I, 2, 2, 18. — Cf. Dionys., V, 75, VI, 58; Zon., VII, 13; Lydus, I, 37.

(4) Tit. Liv., IV, 13.

nelio Cosso dictatore M. Manlius, quid ageret ut subterfugeret poenam quaerebat neque inveniebat. Nam « nec adversus dictatoriam vim aut tribuni plebis aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebant. » Quod eo sensu intellegendum patet ut dictator neque appellationi tribunorum neque provocationi ad populum, lege obnoxius esset.

Hoc etiam illius tantae potestatis documentum habes ut, anno 372 (a. J.-C.), eos qui, ad delectum vocati, aliquam fecissent moram, virgis caedi dictator illius temporis jusserit.

A qua poena quia provocari tum vulgo poterat, cum eodem tempore, de coercitione corporis ac de poena capitis venisse in usum provocationem fere omnes consentiant (1), argumento est nullum omnino fuisse tum crimen a quo de dictatore populum appellari liceret.

Neque magis licuisse quinquaginta post annis (322) pro manifesto habendum est. Tum enim, cum Q. Fabius Maximus, magister equitum, a Papirio Cursore dictatore capite damnatus, Romam fugisset, paterque ejus tribunos appellasset atque populum, concione habita, sententiam ipse suam irritam facere voluit dictator (2).

Rem autem ad se trahunt quidam ex iis qui de capite civium dictatores provocationi obnoxios fuisse dicunt (3). Verum ita non recte, ut in contrariam demum partem putaveris esse interpretandam, si ad haec tantum attendere volueris.

Animadverte primum senatum ante appellatum esse a patre magistri equitum quam populus appellaretur. Nemo tamen inde colligit provocari de dictatore ad senatum licitum fuisse. Verum id est colligendum jus non habuisse cives appellandi de dictatore ad populum ; perspicuum est enim hunc primum et sine ulla mora ad populum appellaturum fuisse, si licuisset appellare.

(1) Cf. Mommsen, Marquard, Krüger : *Manuel des Antiquités Romaines*, trad. sous la direction de G. Humbert, tome III, p. 188. Prima septem hujus operis volumina, quae ad jus publicum romanum spectant, scripsit Mommsem, et in nostrum sermonem convertit F. Girard.
(2) Tit. Liv., VIII, 33-35.
(3) Ita Carolus Maynz, *op. cit.*, I, p. 119.

Quae autem fecit pater ille miser, dolore tantum adductum esse patet ut faceret. Ad omnes enim et omnia appellavit temere et sine ullo delectu, vel lege, vel contra legem. Observare te quoque decet non fuisse tum profecto habita comitia illa centuriata ad quae tantummodo patuisset provocatio, si licuisset. Concionem enim advocavit dictator, in qua orationem habere posset, non comitia in quibus suffragia populus scisceret; neque dubium est quin nulla alia mens ei fuerit nisi ut quod fecisset id merito se fecisse audientibus persuaderet.

Et revera non ivit populus ad suffragium : quod dictator jusserat, ipse revocavit, non rescidit populus

Denique, quamvis reo ille pepercerit, cavit tamen ne jus suum dubium haberetur; sed plane quantum esset omnes memores esse voluit. Etenim postquam optavit « neu populus in se potissimum dictatorem et jus dictaturae contingeret », a se Q. Fabium noxae damnatum donari pronuntiavit populo Romano « *precarium*, *non justum*, auxilium ferenti ».

Neque credideris vi imperii militaris id ab illo factum esse; nam Romae factum est, qua in urbe, ut antea dixi, nullum fuit militare imperium (1). Vis dictatoria igitur, ut ipsius Papirii verbis utar, tantum agebatur, neque tamen ullus fuit, qui jus vitae et necis vel in civem ornatissimum dictatori esse negare auderet.

Aliquot post annos (312 a. J.-C.), occultis principum conjurationibus Capuae factis, quaestiones decretae a senatu fuerunt, dictatoremque quaestionibus exercendis dici placuit Maenium. Sed paulo post « versa est a dictatore Romam interpretando res (2) ».

Postulabantur igitur nobiles homines, appellantibusque tribunos nemo erat auxilio, quum nomina recitarentur; nam in libello nomina damnatorum adscripserat dictator.

Tum omnes undique nobiles Romani, vehementer commoti,

(1) Notavit ipse Mommsen non vi imperii militaris Papirium tum egisse.
(2) Tit. Liv.

longius quam potestatem haberet progredi dictatorem conclamaverunt; non autem appellaverunt populum, quod sane facere nequaquam neglexissent si leges id decrevissent faciendum. Quin etiam terrore odioque eo inducti sunt ut falsa crimina homini severo inferrent, ejusque contagionem, quod quaerebat ipse, sceleris objicerent!

Tum Maenius, ut privatus obviam iret crimini, appareretque, sicut aiebat, se sua innocentia, non majestate honoris, tutum a criminationibus istis esse, dictatura se abdicavit (1).

Quid porro opus erat eum se abdicare, si judicia ejus tollere populo licuisset, tollendoque male judicantem corripere? Ex eo quod se abdicaverit ut judicare possent comitia quae fecisset, nonne colligendum putas eadem comitia non potuisse, dum dictator esset, tumque ab illis eum minime pependisse, sed liberum in agendo et puniendo suique omnino juris exstitisse?

Ergo summam fuisse dictatoribus vel in cives potestatem, neque provocationi adversus eos locum patuisse, ex iis quae hactenus retuli tam manifestum perspicuumque videtur, ut ea quae opponantur a negantibus clarissima sint oporteat atque firmissima.

Quae igitur et qualia sint jam necesse est quaeramus.

II. — *Evertuntur adversaria.*

Dicunt alii, cum Theodoro Mommsen, quæ ex Tito Livio narranda sumpsimus non ea esse quæ pro certis habeantur.

At primum, « quod gratis asseritur, gratis negatur ». Nam nihil est cur illa incerta esse « asserat » Mommsen, nisi quod ipse de potestate dictatorum sentit, uno nixus Festi loco, de quo, cum infra dicendum sit, jam hoc tantummodo dicam, non posse unum unius scriptoris locum contra tot tantaque exempla valere. Adde illa eo magis vera esse habenda quod veterum

(1) Tit. Liv., IX, 26; *ibid.*, 34. Unus alterum locus efficit explicatiorem.

verbis, ut vidisti, confirmantur : fidem enim in hoc adjungunt, ut res verbis, ita verba rebus.

Alii, cum Carolo Maynz, opponunt Ciceronem dixisse decemviros legibus scribundis provocationi non fuisse obnoxios, de dictatore vero siluisse (1).

Verum quid inde, cum aliis multisque locis illos, quibus summam extra ordinem tribuisset senatus potestatem, non eos fuisse a quibus appellaretur disertissime et planissime significaverit, cumque dictatorem scripserit « quem vellet, indicta causa, impune potuisse occidere » (2) ?

Ciceronem testem quaeris? Silentem omitte, audique dicentem.

Silet idem et de patrefamilias et de pontifice maximo et de eo cui imperium militare esset. Neque tamen colligis ab iis omnibus appellandi facultatem civibus fuisse. Non est igitur cur idem de dictatore colligas.

Si vero scire velis quid sit quod de illo Cicero siluerit, ne te fugiat eo loco de magistratibus a populo creatis tantummodo eum agere voluisse.

Neque alio sensu intellegenda est lex illa, qua vetitum fuit « magistratum sine provocatione creare » (3). De dictatoribus nullo modo hic agi, neque tum cautum esse ut provocationi obnoxii jam fierent, perspicuum est ex iis omnibus quae memoravi, cum multa eorum posterius evenisse certum sit, sicque habeas hujus legis interpretationem ex usibus moribusque sumptam, qua nullam, in jure praesertim romano, meliorem esse atque certiorem nemo est qui negare velit.

Et reipsa legem fuisse tantum latam de magistratibus a populo creatis fatetur Mommsen ipsa verba documento esse, homini quidem propriam his linguam et consuetudinem cognitam habenti (4).

(1) *De Republ.*, II, 31.
(2) *De Legibus*, I, 15.
(3) Lata est anno 446 A. J.-C. Ea usus est, verecunde quidem, praeter illum Festi locum, Eduardus Laboulaye, ut dictatores provocationi obnoxios fuisse diceret. *Lois criminelles des Romains*, Paris, 1845, p. 123.
(4) *Manuel des Ant. Rom.* etc., t. III, p. 189.

Veniamus tandem ad illum Festi locum quo firmiore argumento contra summam dictatorum potestatem uti maxime solent. Scripsit igitur Festus :

« *Optima* lex... in magistro populi faciendo, qui vulgo dictator appellatur, quam plenissimum posset jus esse, significabatur : ut fuit Manii Valerii, M. F. Volusinae gentis, qui primus magister a populo creatus est; postquam vero provocatio ab eo magistratu ad populum data est, quae antea non erat, desitum est adjici : ut *optima lege*, utpote imminuto jure priorum magistrornm (1). »

Quæ verba sumuntur ex libro, quem *De significatione verborum* edidit Festus, opus majus Marci Verrii Flacci secutus breviterque complexus.

Porro eam mentem in hoc loco fuisse scribenti clarissime apparet ut quid significent verba *optima lex* planum efficeret. Ex iis igitur conjecturam trahit, qua admissa clariora ipsi videantur, levem vero, immo falsam, si ponere mihi jam liceat quod nunc sim confirmare nixurus.

Etenim hoc primum dicendum est in eo Festum peccavisse quod res verbis explicavit, cum rebus verba potius essent explicanda. Nam nihil invenias in tota romana historia unde colligi possit mutatam fuisse unquam dictatoris potestatem neque eamdem permansisse.

Quanam enim lege mutata fuerit dici nequit. Attamen si mutata est, lege quadam mutatam fuisse tibi est credendum; neque res tenuis parvique momenti lex illa habenda, qua tanta fuisset lata a populo in senatum victoria, immo qua gravem quamdam conversionem Respublica passa esset, cum, admissa a dictatore ad populum provocatione, dictator, jam sine consensu populi in cives inermis, non multum discrepuisset consulibus, atque ita factum esset ut dictatura ipsa quasi sublata videretur. Itaque non sine disputationibus, controversiisque lex illa esset condita, neque sine magno repugnantium clamore accepta.

(1) Festus, ed. Müller, p. 198.

Atque nihil notum est de disputationibus, nihil de clamoribus. Immo a quo lata sit, vel quando, penitus ignoratur.

Ipsa quoque ab omnibus ante Festum scriptoribus siletur, et neminem hactenus reperias cui, quaenam fuerit, quo nomine dicta, affirmare, nisi temere, liceat.

Equidem scio in hac mente Theodorum Mommsen esse ut fuisse forte ea possit tertia illa legum Valeriarum, anno 312 ante Christum lata, qua quaedam de provocatione clariora jussa esse ferantur.

At neminem fugiet illum non quid fuerit notum habere, sed quid fuisse possit suspicari, non quid sit verum ostendere, sed quid verisimile, neque tandem rem aperire, sed conjectura quadam uti, atque ea quae ne verisimilis quidem esse videatur. Nam si lex illa Valeria quod asseveratur mutatum fuisse id reipsa mutasset, homines, ut ita dicam, non praetervolasset, neque ii, quibus nota fuit, commisissent ut satis locutos esse de lege tam gravi tamque nova se arbitrarentur, si eam clariora quaedam de provocatione jussisse solum dicerent.

De ea tamen nihil amplius invenit quod legeret Th. Mommsen ipse, ne apud eos quidem quibus plura nemo alius de ea re scripsit. Inde fit ut dicendum existimaveris legem illam Valeriam non tanti fuisse in republica momenti quanti suspicari voluerint.

Accedit ut neque dictatores, neque consules, quibus potestas quasi dictatoria post annum 312 data sit, neque ii ipsi contra quos illi egerint, quidquam unquam dixerint, quidquamve fecerint, ex quo colligi liceat lege Valeria cautum fuisse ne vel a dictatoribus consulibusque illis sine provocatione cives romani capite damnarentur.

Legem quidem illam miram atque inauditam, quae cum sit, nihil notum est quod ex ea sit factum, quin etiam omnia praeter eam, quasique non esset, facta esse videantur!

Atque hoc praesertim est dicendum unum Festum tot tantique nominis hominibus non posse anteponi, quorum certa verba multo usu certiora effici vidimus.

Fuit enim iste grammaticus quidam, latinae quidem linguae studiosus, qui trecentis vel quadringentis fere annis post Christum, Valerii Flacci, hominis sub Augusto viventis, librum libro, ut dixi, in breve coegit.

Porro quod de dictatoribus memoravi ab illo dictum esse, si ex se dixit, nullius patet esse ponderis contra tam multa quae a scriptoribus multo priorum temporum dicta sunt; si vero ex Flacco, neges necesse est quod de moribus veterum Romanorum senserit unus unoque loco grammaticus aetatis Augusti potius esse credendum quam quod in contrariam partem disertissime docuerint Titus Livius et Dionysius Halicarnasseus, qui eodem vel fere etiam priore tempore fuerint, Cicero quoque, qui reipublicae romanae cognoscendae tantam dederit operam, tamque multi alii recentius, Pomponius, Lydus, Zonaras, ut, quos rei testes supra adhibuerim, eos tantum appellem.

Volo quoque animadvertas posteriores eorum nota habuisse Flacci verba, si Flacci sint, nèque tamen illis visa fuisse ea tam graviter esse dicta ut consentirent vel saltem jam aliquo modo dubiam esse contrariam sententiam arbitrarentur. Igitur si verba illa non cognoverunt, non Flacci ea esse sed Festi unius, ideoque parum valere dicendum; sin autem cognoverunt, ea tam parvi fecisse illos fatendum, tamque a vero abhorrere putavisse ut omnino neglegerent silendaque existimarent.

Ceterum quae adhibenda sit fides, si quis contra id quod ceteri confirmaverint unus scripserit, Mommsen ipse re docuit, cum Ciceroni ipsi, dicenti contra id quod constare illi videretur, credere omnino noluerit.

Legimus enim apud Ciceronem, ut infra videbimus, capitalem habitam esse Romanis poenam vinculorum. Quod idem ex quodam Titi Livii loco colligitur. Negat tamen Mommsen, ideoque cives romanos sine provocatione in vincula conjici potuisse contendit, neque aliud de Cicerone et Tito Livio respondet nisi eos in hac re erravisse, unum docendo, alte-

rum narrando. Magnae sunt tamen illi auctoritatis, gravisque ponderis, multo certe gravioris quam unus Valerius Flaccus, et praesertim quam Festus ille, cujus unius fortasse est ista, quam edidit, sententia.

Qui fit igitur ut qui Ciceronem et Titum Livium in errorem raptos esse aperte pronuntiare non dubitet, idem Festum decipi non potuisse ita persuasum habeat ut totam antiquitatem deceptam esse dicere malit ?

Si duo istos maximos scriptores, eosdemque rei romanae peritissimos, errore immunes non fuisse credendum est, qua causa credamus oportet Festum prorsus eum fuisse in quem error non caderet, maxime quum quod scripserit id a nullo nullaque re confirmatum, sed ab omnibus contra negatum moribusque confutatum reperiamus ?

Mihi quidem videtur Festus (aut, si malis, Valerius Flaccus), cum ei quid significarent verba « Optima lex » explanare et explicare placeret, nullam aliam explicandi rationem invenisse nisi dictatoribus non fuisse eamdem semper potestatem suspicaretur.

In quo eum non recte judicavisse censeo esse putandum.

Alio enim modo, verba illa intellegi possunt et explicari; neque eum modum adhibeas necesse est qui universis scriptoribus rebusque repugnat. Nam primum nihil obstat quominus cum quibusdam (1) existimes, si placeat, eos dictos esse *lege optima* creatos dictatores qui, cum rei gerundae aut seditionis sedandae causa creati essent, universa quadam uterentur potestate, dictos autem fuisse *imminuto jure*, qui, ad cujusdam tantum generis actus, sive in judiciis, sive in civilibus negotiis, creati, cujusdam quoque generis tantummodo potestatem haberent, qua videlicet muneribus exercendis pares efficerentur (2).

(1) Ex illis est Willems, *Le Droit public romain*. Louvain, 1874 p. 249

(2) Quidam alii, cum Maynz (*Cours de droit romain*, Bruxelles, 4e édition, 1876, t. I, p. 119.) *Optima lege* creatum fuisse illum dictatorem putant, qui in comitiis centuriatis esset creatus, *imminuto autem jure*, qui ex senatusconsulto dictus fuisset, atque in hoc eos inter se distulisse quod provocationi ad populum obnoxius esset posterior, prior autem non esset. At praeter quod admodum raro in comitiis centuriatis creati

Deinde, si quid ipse sentiam aperire audeam, verba *optima lege* verbis *imminuto jure* ut diversa diversis opposita esse nihil esse videtur cur arbitrari velis. Non alia forte causa dictus est olim senatus, cum creari dictatorem juberet, *optimam legem* ferre, quam facere *ultimum decretum* dici solitus est posterius, cum ei vim fere dictatoriam consulibus tribui placeret. Atque hoc fortasse notatione dignum quod optima lex illa, qua jubebatur effici dictator, *ultimum* consilium vel *ultimum* auxilium ipsa etiam dicebatur (1).

Sunt igitur illa verba quasi quaedam sollennis dicendi formula quae rem significaret gravissimam, nisi forte hoc tantummodo significabat quod verba fere similia *optimo jure creatus :* magistratum legitime, non autem vitiose creatum (2).

Hoc saltem satis clarum nobis est eo sensu, qui Festo placuerit, accipi non posse verba illa, cum dictatori de capite civium sine provocatione agere licuisse et ex dictis veterum et ex usu constare videamur fecisse ut legenti probaremus.

sunt dictatores, illos etiam, qui alio modo dicti sint, sine provocatione fuisse, ex iis quæ retuli manifestum est. Vana est igitur distinctio ista atque inanis.

(1) Tit. Liv. IV, 56 : « Senatus extemplo (quod in rebus trepidis *ultimum consilium* erat) dictatorem dici jussit. » VI, 38 : « Trepidi Patres ad duo *ultima auxilia* summum imperium, summumque civem decurrunt. Dictatorem dici placet »..., etc.

(2) Verba *optimo jure creatus* in usu, ut ita dicam, quotidiani sermonis erant, eo prorsus sensu quo illa accipio. Ut locum, ex Tito Livio sine ullo fere delectu, sumptum laudem, in uno capite trigesimo quarto libri noni bis adhibentur. Censor enim dicitur « optimo jure creatus », et quidam magistratus, qui nimia utebatur potestate, se gerere arguitur « ut qui optimo jure rex Romae creatus sit ».

CAPUT V

FUIT VERE CONSULIBUS EX SENATUSCONSULTO ULTIMO POTESTAS QUAEDAM QUASI DICTATORIA

I. — *Ex dictis res colligitur.*

Potestatem quasi dictatoriam consulibus fuisse, ubi decrevisset senatus « viderent consules ne quid respublica detrimenti caperet », vel ex eo colligas quod illi dictatorum quodam modo haeredes exstiterint, immo nihil fuerint, ut ita dicam, nisi dictatores alii, non jam per consulem ex senatusconsulto, ut antiqui, sed a senatu ipso creati.

Fuerunt quidem qui crearentur vel eo jam tempore quo dici priores nondum desiti erant. Nam primus eorum, anno 290 ante Christum, dum bellum gerebatur, potestatem illam extra ordinem accepit.

Hi tamen ita illis similes potestate atque munere et officio fuerunt, ut, qua aetate creari coepti sunt, eadem illi desiti sint. Fuit enim dictatorum ante Syllam ultimus C. Servilius Geminus, anno 202 (a. Chr.), comitiorum habendorum causa, dictus. Sed ab eo tempore, cum jam non efficerentur dictatores, multo saepius, decreto ultimo usus est senatus, ut vim quasi dictatoriam iis, quos illorum haeredes esse dixerim, Republica in praeceps data, tribueret.

Vis enim ea dictatoria Reipublicae romanae necessaria fuisse videtur, neque fortasse res alia fuit qua, maximis in periculis commissa, civitas salva immunisque fieret. Itaque, cum esset in ejus moribus atque, ut ita dicam, habitu et constitutione, necesse fuit post dictatores ipsos maneret ultraque duraret.

Atque reipsa semper duravit, primum in consulibus ex senatusconsulto ultimo, deinde in imperatoribus, qui dictatores quidam perpetui fuerunt; neque enim alio se nomine dixisse Caesarem nemini est ignotum.

Fatetur ipse Mommsen potestatem, quae consuli extra ordinem decreto ultimo daretur, dictatorum potestati habitam esse aequalem (1). Eam autem fuisse dictatoribus potestatem ut illis de capite civium sine provocatione ad populum sententiam ferre liceret, curavimus modo ut argumentis confirmaremus. Unde efficitur ut licuisse idem consuli nostro concedendum esse habeatur.

Id autem jam alia ratione viaque planum est faciendum.

II. — *Refelluntur quae a negantibus opposita sunt.*

Diligentissime nobis est curandum ut, quae affirmantibus opposuerint negantes, ea singula perpendamus et, pro viribus, quantulaecumque sunt, falsa esse aut saltem parum firma comprobemus.

***

1. Igitur dicunt primum leges Valerias, Porcias, Semproniam, obstitisse quominus de capite civium, nisi in comitiis centuriatis, decerneretur. Ostendimus jam leges illas, quamvis verbis generalibus uterentur, quasdam tamen accepisse exceptiones, quae legibus aliis praesertimque moribus usuque statuerentur.

Quaerendum ergo tantum est nonne moribus usuque statutum sit ut, cum in discrimine committeretur Respublica, potestatem quamdam consulibus extra ordinem mandare senatui liceret, quae dum vigeret, vis ceterarum legum interrupta cessaret. Itaque nihil agit, quod ad controversiam dirimendam pertineat, qui istas recitat leges.

Equidem scio quibusdam videri legem Semproniam Caii Gracchi eo demum latam esse consilio ut inane jus illud senatus jam evaderet, irritumque fieret. At de consilio illo errare videntur.

Nam Tiberius Gracchus non fuit interfectus per consulem, qui vi illa quasi dictatoria uteretur. Scipio Nasica enim, cum in curia petiisset ut Mucius Scevola consul (erat tum in Sicilia con-

(1) De consule illo scribit : « Il est regardé comme l'égal du dictateur de l'ancienne république. » *Op. cit.*, t. VII, p. 472.

sul alter Calpurnius Piso), in Tiberium, qui appeteret regnum, severe ageret, negavissetque se facturum consul, tum, curiam cum aliis egressus, turba comitante, Tiberium eosque, qui armati eum circumdabant, agressus est atque, proelio facto, occidit.

Igitur hic habes tantummodo seditionem quamdam, primamque omnium, Plutarcho judice, in quibus Romae caedes facta sit. Paulo post autem multi, indicta causa, vel in exsilium missi sunt vel etiam necati. Quae omnia certum est, ut acta esse contra legem atque injuriose, ita Caio Graccho, Tiberii fratri, merito digna esse habita quae lege sua Sempronia notarentur atque puniri juberentur. Id illi fuisse consilium, vel ex eo etiam apparet, quod ex Plutarcho constat Popilio, qui praetor in exsilium Tiberii partium defensores ejecisset, ita aperte intentam esse legem, ut ipse, nondum condemnatus, e patria ultro exiret (1).

Quae cum ita sint, mirari me fateor quod haec Th. Mommsen scripserit : « Caïus Gracchus provoqua un vote du peuple renforçant le droit de provocation et réprouvant le sénatusconsulte qui l'attaquait (2) ». Nam senatusconsultum ultimum, quia nullum est in illis temporibus factum, neque provocationi obstitisse poterat, neque id videri quod lege nova notandum esset.

Itaque lex Sempronia, cum de decreto ultimo lata non sit, de decreto ultimo opponenda non est, neque ex ea aliisque legibus, adversus potestatem extra ordinem a senatu consuli datam, ullum duci potest argumentum.

Adde nemini senatorum curae fuisse leges illas, postquam de Catilinae sociis quid esset agendum a Cicerone rogati sunt, neque obstitisse quominus necari eos majori parti placeret. Quin etiam tantum abest ut causa fuerint cur haerentes haererent ut, cum poenam mortis decerni vellet Cato, de illis sibi omnino putaverit esse silendum.

(1) Plutarch., *C. Gracchus*, IV.
(2) *Manuel des Antiquités rom.*, etc., t. VII, p. 473.

Quare quidam animis incertis fluctuarentur quaeris? Quaere quid Cato dignum esse negaverit ex quo dubiam haesitantium mentem esse liceret. Hoc scilicet negat, quae a Caesare proposita sunt, ea ad Reipublicae salutem satis posse, ideoque adhibendam quamdam in notos homines misericordiam : « Quare, inquit, vanum equidem hoc (Caesaris) consilium, si periculum ex illis metuit ; sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere. » Et cum paulo ante dixisset : Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat ! » mox « Misereamini censeo, exclamat... Ne ista vobis misericordia, si illi arma ceperint in miseriam convortat (1) ».

Nihil igitur de legibus illis dicendum existimat. Ipse tamen tam adversabatur quam qui maxime iis quae contra legem fieri arbitrabatur.

Etenim non multo ante, cum trepidi tacerent omnes, unus eos accusare ausus est, quos facinorum adjutores Sylla habuisset, atque ita iniquitatis injuriaeque coarguere ut de illis supplicium sumi jussum fuerit (2).

Porro acerrimus ille legum defensor leges non defendit, cum de capite conjuratorum in curia ageretur. Quod argumento est eum nullam violari legem existimasse. Neque praetereundum tribunum designatum illum tum exstitisse (3). Igitur non solum impetu ingenii et studio animi, sed vi etiam quadam officii non is erat qui populi jura laedi permisisset, si romanum civem morte mulctare nemini unquam nisi populo licuisset.

Atqui illicitum esse atque iniquum conjuratos a consule interfici adeo non professus est ut contra aequum sibi videri et justum vehementius ceteris clamaverit : nemo plus, nemo tantum egit senatorum ut necari illi juberentur ; neque profecto contra morem reipublicae sed pro more antiquo agere se putavit. Ita enim peroravit : « Censeo... de confessis, sicuti de mani-

(1) Sallust., *Catil.*, LII.
(2) Plutarch., *Cat. Ut.*, XVII.
(3) Plut., *Cat. Ut.*, XXII.

festis rerum capitalium, *more majorum* supplicium sumundum. »

Cui assensus est senatus frequens. Quin etiam de lege Sempronia aliisque nulla fuit vere controversia. Quod ad Caesarem attinet, sic eum de legibus illis dixisse narrat Sallustius : « Sed, per Deos immortales, quam ob rem in sententiam non addidisti (Silane), ut prius verberibus in eos animadvorteretur ? An quia lex Porcia vetat! At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exsilium permitti jubent... Qui convenit in minore negotio legem timere, cum eam in majore neglegeris (neglexeris)? » Paulo infra : « Majores nostri... eodem illo tempore Graeciae morem imitati, verberibus animadvortebant in cives, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia hujuscemodi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt quibus legibus exsilium damnatis permissum est. Hanc ergo causam, Patres Conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. »

De quibus Cæsaris verbis quaedam notari decet.

Primum eum dicendum est de provocatione ad populum omnino silere. Th. Mommsen tamen, et alii quibus eadem est sententia, in hoc rescissas fuisse dicunt leges quod sine populo morte mulctati sint conjurati, neque eis populum appellare fuerit permissum.

Porro nihil hujusmodi apud Caesarem reperias. Violari jura populi popularis homo nullo modo queritur. Pone autem jus fuisse, ut contendunt, Catilinae sociis provocare, senatuique non licuisse sine provocatione eos capitis damnare : patronus causae eorum Caesar non commisisset ne rem objiceret; dixisset sane causam illam judicii esse comitiorum, audientesque assensi fuissent tribuni plebis, quorum id prorsus officium erat ut jura populi defenderent. Tum sive religione quadam legum, sive populi metu fore ut ad suos judices statim reos remitteret senatus, verisimillimum recte habeas, ne dicam omnino certum.

De re tamen tam gravi, hominibusque pro quibus dicebat tam valde utili, ne ullum quidem fecit verbum. Ex quo colligendum est illum non in ea mente fuisse ut appellandi ad populum jus haberent conjurati.

Neque aliter sentire visus est postea cum, Clodio Ciceronem accusante, putare se dixit consulem contra leges fecisse ut Lentulus aliique interficerentur. Tum enim in eo leges rescissas esse quod populum appellare reis non esset permissum, quamvis de capite civium sine provocatione agi non posset, nullo prorsus modo professus est (1).

In eo ipso tamen violatas esse veteres quasdam leges romanas nostrae scriptores aetatis clamitant. Lege igitur quae hi scripserint, crede vero quae crediderint Caesar, Cato, senatores, consules, tribunique plebis.

Si quis autem quaerere velit, quare illicitum actum esse in conjuratos Caesari visum fuerit, memor sit eum in hac fuisse mente ut lege Porcia damnatis civibus exsilium omnino permitti existimaret.

Quod est diligentissime attendendum. Cives enim capite puniri vetat ille non a senatu aut a consule, sed ab omnibus, quicumque sint, judicibus, ne excepto quidem populo.

Praeterea legibus illis, quas id sanxisse contendit, non tantam esse vim putat ut quod sanxerint id negare cunctetur esse faciendum. Nam, si pro illis agi voluisset, diceret necesse erat : « Damnate capitis, si libuerit, Lentulum ejusque socios, sed judicium nolite exsequi, ne a legibus recedatis ; facite ut damnatis in exsilium ire liceat. » Porro esse in illa sententia se vehementer negat. « Placet igitur, inquit, eos dimitti et augeri exercitum Catilinae ? Minume. »

Dicet aliquis : si recedere posse illos voluisset, cum ad Catilinae exercitum eosdem recessuros fuisse certum esset, sperare

(1). Vell. Paterc., lib. II, cap. XIV. Eam fuisse Caesaris sententiam ut provocari ad populum tum non fuerit necessarium fatetur ipse Mommsen (*Manuel des antiquités rom.*, etc., t. VII, p. 473). Cfr. infra, p. 56.

nullo modo potuisset fore ut ad suam ipse sententiam Patres Conscriptos adduceret.

At quid inde? Parendum erat legibus, quaecumque consequi poterant, si leges utique facienda juberent. Sin autem quod jubebant, id facere aut omittere liceret pro temporis ratione, ut orationis fortuna salusque civium postulabat, jam quaerendum senatoribus tantum erat num salus reipublicae, qua nulla alia res antiquior, posceret ut conjurati interficerentur. Si poscere videbatur, tam senatui licebat leges pro consilio suo interpretari de damnatorum morte quam Caesari de exsilio.

Immo, non tantummodo quae damnatis concedebant leges concedi nolebat Caesar conjuratis, sed qua pœna mulctari cives vetabant, ea mulctandos esse conjuratos censebat. Dicit enim apud Sallustium : « Ita censeo : publicandas eorum pecunias ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxume opibus valent, neu quis de eis postea ad senatum referat, neve cum populo agat ; qui aliter fecerit, senatum existumare eum contra rem publicam et salutem omnium facturum. »

In vincula igitur, eaque sempiterna, ut ait Cicero (1), illos conjici jussit. Unde factum est ut Silanus, qui censuerat ultimo supplicio mulctandos, cum, audito Caesare, sententiam mutare vellet, profiteri potuerit se non mortem decrevisse, sed carcerem, ut decreverat Caesar ; « id enim esse civi romano ultimum supplicium ». Quo certe nomine ei dicere non licuerat poenam illam levissimam, qua, dum judicarentur, in custodias habiti essent conjurati, quaeque vere poena, si quis proprio sermone uti velit, non sit appellanda. Igitur non videtur esse cur dubites quin eos in perpetua prorsus vincula mittendos esse Caesar censuerit (2).

(1) *IV Catil.*, IV.

(2) Errat igitur Plutarchus cum scribit eam fuisse Caesari sententiam ut conjurati vinculis coercerentur in tempus, vel (nam aliter alio loco rem explicat) dum Catilina vinceretur (*Cic.*, XXI), vel dum de causa eorum cognitum esset, (*Cat. Utic.*, XXIII), ut senatui facultas esset commode de eis deliberandi (*Caesar*, VII). Nemo non videt non esse eum Plutarchum qui in hac re Sallustium et Ciceronem auctoritate vincere possit. Fatendum tamen est illi Appianum assensum esse. (*De Bell. Civ.*, lib. II, c. V).

Porro poenam illam sempiternam, ut certum est exsilio, quod damnatis leges permittere contendebat Caesar, multo esse graviorem, ita valde probabile judicio populi, non aliter quam poenam mortis, fuisse relictam. Quam enim gravis haberetur ea Romanis satis ex Silani verbis apparet, quippe qui morti eam aequiparaverit. Adde quod Cicero, vir maximae in hoc auctoritatis, rem aperte docuit (1), ejusdemque rei testis quoque fuit Titus Livius, cum narraverit L. Opimium accusatum esse apud populum a L. Decio, tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem conjecisset (2).

Ergo, nisi ambo erraverint, haud minus quas laudabat leges evertebat Caesar, cum a senatu in carcerem mitti conjuratos juberet, quam qui morte mulctandos eos censebant.

Quas quare ipse ita everteret, haec causa fuisse videtur quod eas laudando non tam quae juberent quam quo tenderent memores esse senatores volebat, eo sane consilio ut ad earum voluntatem et sententiam decernerent, quantum res pateretur. Posse vero eos, si res vehementissime postularet, contra quod illae sanxissent agere, non dubium existimaveris quin sentiret, praesertim si attenderis quibus verbis eum usum esse Plutarchus referat; narratur enim dixisse eum esse morem Romanorum ut viros, genere et dignitate eximios, sine usitato judicio interfici non liceret, *nisi summa urgeret necessitas* (3).

Hic habes quid de legibus Porciis aliisque arbitreris : compositis enim rebus, cum ordine tranquilleque respublica se haberet, legibus illis necesse erat pareretur ; quin etiam, in temporibus cunctis, quo tenderent, tendere conandum erat (4). Adducta

(1) *De Leg.*, III, 3.
(2) *Ep.*, 61. — Mommsen (Mommsen, Marquardt, Krüger, *Manuel des Antiquités romaines*, etc., t. III, p. 127) contendit, nulla vero ratione confirmat, eo saltem loco, Ciceronem atque Titum Livium simul erravisse; huic vero scribendum fuisse : (L. Opimius fuit) « accusatus apud populum a L. Decio, tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcere *necasset* », vel « *in carcerem conjectos necasset* ». Et reipsa L. Opimius quosdam cives interfecerat. Hoc tamen Titi Livii loco ostenditur saltem eum qui accusavit, aut eum qui narravit, persuasum habuisse ab iis rescindi leges qui cives, nisi ex comitiis centuriatis, in vincula mittere auderent.
(3) Plut., *Caesar*, VII.
(4) Rebus compositis, si senatusconsultum ultimum non factum esset,

autem in periculum civitate, ubi, ut salva esset, extra ordinem in reos agendum esse senatus censebat, ipse, patrio legitimoque more, legibus illis fiebat major, atque, ut ita dicam, non juste eum se gerere justum erat.

Itaque in curia nemo curavit, ne Caesar quidem ipse, ut de provocatione ageretur, resque diceretur ad comitia esse rejicienda.

Appellavit quidem tribunos plebis Caesar, non vero de re illa. Dixi enim jam censuisse illum non morte puniendos esse Catilinae socios, sed vinculis atque bonorum etiam publicatione. Major autem pars senatus morte puniri eos jussit, sed, cum removeret quod esset in sententia Caesaris mitius, quod severius esset assumere voluit : condemnatorum bona esse simul publicanda. Tum vehementer appellavit Caesar tribunos. Hi vero eo quo frui solebant jure uti noluerunt, inque tota re illa nullo modo sibi intercedendum esse putaverunt.

Neminem igitur reperias, neque in curia, neque extra curiam, qui violari jura populi a senatu, quia violarentur leges Porciae aliaeque, tum dicendum esse crediderit.

*
* *

2. Sed hoc etiam senatui objicitur, non fuisse ei in Republica potestatem judiciariam.

Primum est respondendum, quae antea facta saepe esse a senatu memoravi, ea documento esse quod hanc potestatem more antiquo haberet, extra ordinem quidem exercendam. De qua praeterea animadvertendum est nullam tum fuisse factam controversiam. Immo Caesar ipse adeo illam potestatem non negavit ut ea uti Patres voluerit, neque in re alia discrepuerit a majore senatus parte, nisi in iis quae vi hujusce potestatis agenda essent. Suasit enim senatui ut conjuratos judicaret judicandoque condemnaret, ita tamen ut carcere tantum non autem capite, ut voluerunt plurimi, mulctarentur.

conjurati exsilio mulctandi fuissent vi legis Lutetiae vel Plautiae. Atque reipsa exsilio mulctarunt judices ordinarii, oppressa conjuratione, quos in ea causa versatos esse convicerunt : Vargunteium, Servium, Autronium, C. Cornelium aliosque.

De potestate ergo illa judiciaria, vel inter homines populares, non erat tum in curia qui dubitaret.

Equidem non ignoro quosdam esse qui dicant hanc potestatem nullam esse putandam, quia non fuerit lex quae eam institueret.

Vanam ratiocinationem atque falsam! Civitates enim, praesertim antiquae illae, non tantummodo legibus scriptis constitui solitae sunt verum etiam usu et moribus, quas vere leges habeas, sponte sua et ingenio et habitu populi necessitatibusque rei publicae natas, non vero, ut ceterae saepius, vi consilioque cujusdam hominis optime dicentis, qui quo voluerit audientium mentes suffragiaque verterit.

Ut argumentum sumamus ex comitiis tributis, quae concilia plebis erant, nulla prorsus lex scripta fuit qua judicare possent. Judicare tamen solita sunt, tribunis accusantibus, multaeque reos condemnare (1), ita quidem ut poenas etiam graviores aliquando injungerent. Postumium Pyrgensem tantum referam, qui, bellorum punicorum tempore, a tribunis plebis accusatus cum aliis publicanis, inque comitiis tributis positus, turbam tam vehementer commovit ut, ne res ad seditionem spectaret, concilium plebis dimitteretur. Mox vero Carvilii tribuni rei capitalis diem Postumio dixerunt, plebsque rogata ita scivit : « Si Postumius ante Kalendas Maias non prodisset, citatusque eo die non respondisset, neque excusatus esset, videri eum in exsilio esse bonaque ejus venire, ipsi aqua et igni placere interdici. Singulis deinde eorum qui turbae ac tumultus concitatores fuerant, rei capitalis diem dicere ac vades poscere coeperunt (2). »

De qua jurisdictione, quam plus quadringentis annis exercitam esse nemo negat (3), audi Carolum Maynz dicentem :

« On a l'habitude de présenter cette juridiction restreinte

(1) Saepe etiam accidit ut damnarent de criminibus minimis, et, ut ita dicam, fere nullis, nostra quidem sententia. Cf. Val. Max., VIII, 1; Tit. Liv., *Epit.*, XIX ; Aulu.-Gell., X, 6.

(2) Tit. Liv., XXV, 4.

(3) Cf. Maynz, *Cours de droit romain*, 4e édit., Bruxelles 1876, t. I, p. 180-181.

mais arbitraire des tribus comme une usurpation de la plèbe. Si l'on entend dire par là qu'aucune loi n'attribuait aux tribus l'exercice du pouvoir judiciaire en matière pénale, on est dans le vrai. Mais on a tort d'en faire un chef d'accusation à la charge des tribuns... En agissant comme ils faisaient, les magistrats de la plèbe se rendaient les interprètes du sentiment public et donnaient satisfaction à des besoins sociaux (1). »

Optime quidem ! Idem vero dici potest de jurisdictione quam senatus in rebus trepidis exercere solitus est. Nam si potestate judiciaria, quam nulla ex lege acceperant, comitiis tributis uti licitum est, cur idem ipsi non licuerit senatui ? Non esse ullam legem scriptam qua res statuta fuerit nulli est, inquis, argumento oportere res non justa neque legitima habeatur. Num de plebe dicis an de senatu ? Fateor mihi videri vel de neutro vel de utroque dicendum.

Nihil sane obstat quominus plebi contra senatum animo faveas, quamvis — mea quidem sententia — plebs senatusque romanus valde jam senuerint ! At, ubi homericorum more heroum de mortuis dimicare placet, atque pro tribunis adversus Patres stare, ex aequo et bono saltem agendum est, tibique constandum neque mutandae, mutata causa, judicandi regulae.

Ne quis igitur negaverit ob eam causam jura summa consuli extra ordinem tradere senatui licuisse quod judiciaria potestate careret !

***

3. Denique hoc tertium opponitur argumentum, qui juribus illis extra ordinem acceptis usi sint, eos omnes poenas tandem dedisse ; Scipionem Nasicam, L. Opimium, Ciceronemque ipsum maxime commemorant. Videamus igitur quid sit de his poenis, quas isti persolverint, sentiendum.

Ut de Scipione Nasica primo dicam, minime intellegere me

(1) *Ibid.*, p. 162-163.

fateor cur in hac causa adhibeatur (1). Nam praeterquam nulla defunctus est poena, cum a senatu procul ab urbe missus, fecerit ut non judicaretur, jam negavimus eum ex senatusconsulto ultimo potestatem summam accepisse.

Immo consulem eum non fuisse minime incertum est. Quia vero, quae ageret et pararet Tib. Gracchus, ut cuncti divites, aegerrime ferebat, seditionem quamdam movit, in qua iste cum trecentis suorum occisus est (2).

L. Opimium autem non negaverim consulem exstitisse, potestatemque quasi dictatoriam, vi decreti ultimi, habuisse. Eo vero tempore, seditionibus Roma exagitabatur. Caius Gracchus enim, postquam tribunatum tertium petierat, repulsa a populo lata, iratus, cum Fulvio, homine consulari, multam turbam comparavit ut quemdam exercitum, quo consuli obsisteret. Hic autem, armatis quoque suis, factiosos homines aggressus ita profligavit ut Caius, cum tribus millibus suorum, occideretur (3).

Posterius Q. Decius, tribunus plebis, L. Opimium, cum ad populum eum adduxisset, accusavit sive in vincula, indicta causa, cives conjecisse, ut narrat Titus Livius (4), sive Caium Gracchum interfecisse, si Tullio credere malis. Certum est utique eum a populo fuisse absolutum, postquam patronus causae ita dixisset ut non tam quid fecisset reus quam quid facere ei licuisset populo esset judicandum. Apud Ciceronem enim sic loquitur M. Antonius :

« Quum L. Opimii causam defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id jure, pro salute patriae, factum esse dicebat (5). »

Tum igitur absolvendo reum, id populus se putare professus est, immo, ut ita dicam, id decretum voluit, jure suo usum esse

(1) Trahitur in exemplum, ut L. Opimius, ab Eduardo Laboulaye (*Lois criminelles des Romains*, Paris, 1845, p. 124).
(2) Plutarch., *Tib. Gracchus*, XIX.
(3) *Ibid.*, *Caius Gracchus*, XVII.
(4) *Epit.*, 61.
(5) *De Orat.*, 2, 25, 106.

consulem, cum Caium Gracchum interficeret. Hoc igitur populi judicium contra jus senatus consulisque tam immerito affertur ut pro eodem stare prorsus sit dicendum (1).

*
* *

Quod ad Ciceronem ipsum attinet, eum certe non negandum est, aliquot annis post oppressam Catilinae conjurationem, a Clodio, tribuno plebis, accusatum, Roma sponte exiisse, tumque absentem, suadente eodem Clodio, esse damnatum, ita tamen ut, transactis sexdecim mensibus, in patriam, omnium suffragio, revocaretur.

De quibus hoc primum dicendum putes non habendum esse id vera legitimaque populi voluntate factum, quod vi impetuque Clodii adversus Ciceronem factum est. Criminis enim arguendo Ciceronem Clodius plane hoc spectavit, non ut violatas ulcisceretur leges, sed ut, occasione quadam data, qualiscumque esset, inimico inimicus noceret. Scribebat enim ad Atticum Tullius : « Nobis autem ipsis quum vim, tum judicium minatur (2). » Neque enim alia Clodio erat accusatio quam altera quaedam ratio injuriae Ciceroni inferendae. Nam undique causas quaerebat ut, quantum posset, inimico afferret detrimentum.

Fecisse igitur eum ut Cicero accusaretur, non documento est leges esse a consule rescissas, sed firma fuisse Clodio odia multamque audaciam.

Ceterum ex Plutarcho apparet quantum, eo tempore, rerum perturbatione vique hominum civitas jactaretur. Omnia soluta erant, confusa, turbata, ita saepe ut is suffragiis muneribusque potiretur, atque judiciis populi pro voluntate uteretur, qui, turba majore circumdatus, victis ceteris, forum campumve Martium occupasset.

Ciceronem ipsum narrat idem Plutarchus multas graves injurias a Clodio accepisse, qui hominibus vehementis pravique

(1) Rem fatetur ipse Mommsen (*Manuel des Ant. Rom.*, t. VII, p. 473). Cf. infra, p. 55.
(2) *Ad Attic.*, II, 22.

ingenii septus, nullis parceret contumeliis, ita etiam ut luto lapidibusque vir consularis lacesseretur.

Huic autem pulla toga erat, capillique passi, atque eum comitabantur, eadem veste eodemque capillo, amplius viginti millibus juvenum. Cum vero, coacto senatu, decretum facere vellent Patres, quo populus ipse, quasi publicus quidam luctus esset, vestem mutare juberetur, obstiterunt consules, Clodiusque accurrit atque locum, ubi Patres erant, cum hominibus armatis circumsedit. Quo viso, perterriti plerique senatorum cum magnis clamoribus curiam egrediebantur, togam lacerantes (1).

In his demum turbatis rebus, cum violento quodam impetu omnia misceret Clodius plebemque omnem quasi in potestate haberet, accusatus fuit Tullius ab eo atque damnatus. Vicit odium, audacia, vis; non vicerunt leges, de quibus quidem certum est nihil istum laborasse.

Dices forte : « Si populi judicia sibi culpa vacanti non esse pertimescenda arbitrabatur Cicero, qui factum est ut sponte a patria exiret ? »

Audi ipsum in Miloniana oratione respondentem se, quum urbe cederet, non judicium timuisse, sed servos, sed arma, sed vim (2).

Re vera, postquam a Pompeio petierat ut se ab inimicis defenderet, negaveratque se facturum Pompeius, Pisonem consulem adiit, utpote qui in se minus quam consul alter mente aliena uteretur. Piso autem suasit illi ut furenti Clodio in tempus cederet, cumque praesens locum inimicis daret, quamvis invitus, Rempublicam adducendi gravissima in pericula, exeundo patriam denuo salvam faceret; in quo omnes amici ejus, excepto uno Lucullo, consenserunt.

Tum ergo pedibus iens, cum quibusdam suorum ad Lucaniam profectus est, ut Siciliam inde peteret.

(1) Plutarch., *Cicero*, XXXI.
(2) *Pro Mil.*, XIV.

Nullum igitur ex ista profectione contra eum sumi decet argumentum.

Sententia autem, a populo adversus exsulantem dicta, ab eodem populo, mox contrariam sententiam ferente, ita rescissa subversaque habenda est ut sublata esse quasique numquam fuerit jure meritoque videatur.

Adverte etiam priorem sententiam eo modo fuisse latam ut, rebus turbatis, quod vellet Clodius, homo tum popularibus acceptissimus, id multitudo, caeco impetu, ageret, posteriorem vero, tempore ad considerandum dato, uno quasi omnium suffragio esse pronuntiatam.

Neque res minori laetitiae fuit Italiae quam Urbi. Narrat enim Plutarchus nullam fuisse civitatem quae, magno cunctorum civium plausu atque gaudio, redeunti Tullio obviam non iret, ita quidem ut veris minora ipse diceret, cum deinceps totius Italiae quasi humeris sustentum, se Romam rediisse profiteretur (1). Immo ubi urbem fuit ingressurus, ne ipse quidem abstinuit Crassus, qui ei inimicissimus fuerat, quominus ei occurreret honoris causa.

Videbatur igitur nemini recte condemnatus, omnibus contra ita injuste vexatus, ut se erga eum grato esse animo decere arbitrarentur, nedum quod egisset objicere vellent.

Itaque hic habes quid de conjuratorum nece senserit populus, cum factus esset animi compos sibique soli pareret.

Ergo opponentibus actiones quasdam contra eos fuisse exercitas, qui senatusconsulto ultimo usi essent, respondendum putaveris mirum certe non fuisse, cum, studiis civilibus accensis, adversarios adversarii reos quovis modo facerent, atque verbo et malis artibus, vique aliquando curarent ut condemnati tollerentur de illo angusto itinere ambitionis, in quo Lucretius tam multos luctantes et sanguine sudantes viderit (2). In republica illa turbulenta is fuit accusandi furor

(1) Plutarch., *Cic.*, XXXIII. — Cf. Ciceronis ipsius orationem in senatu habitam *post reditum*, XV.
(2) *De Natura rerum*, V, 1126.

ut Cato major quater et quadragies accusatus fuerit, quaterque et quadragies quaestione liberatus; qua re vanas inanesque accusationes illas fuisse paret.

Unde fit ut ego mirer non sane quod, ex usu potestatis extra ordinem consulibus datae, occasio accusandi sumpta est aliquando, sed quod saepius non sumpta sit.

Neglegendae igitur accusationes, observanda autem diligentissime judicia. Nam eorum omnium, qui rei ob eam causam facti sunt, nemo est quem sui compos populus condamnaverit; singulos absolutos misit, neque furore injuriaque factionum, neque blanditiis hominum popularium, qui hortabantur ne parceret iis qui jura ejus laesissent, nullo denique modo adduci potuit ut eos contra leges egisse censeret.

Ergo, ut quae comprobanda curavi in breve jam cogantur, ea esse videntur, quae afferuntur a negantibus argumenta, ut parum firma vel nullius etiam ponderis habenda esse fortasse existimes. Eos enim, qui affirmantibus unum ex tribus opponunt, vel leges Porcias aliasque obstitisse quominus vis illa quasi dictatoria consuli tribueretur, vel potestate omni judiciaria Senatum caruisse, vel illos accusatos esse qui senatusconsulto ultimo usi sint, inanibus niti argumentis atque errare, spes aliqua mihi est fuisse comprobatum.

III. — *Exponuntur quae ab affirmantibus afferri possint.*

Nunc vero est longius progrediendum, adjiciendumque multa esse ex quibus legitimum fuisse senatusconsultum ultimum credendum esse appareat.

1. Primum ex usu moribusque sumam argumentum. Multum enim valere legibusque scriptis aequiparari, ne dicam praestare, usum moresque, quum in plurimis civitatibus, tum maxime in vetere illa Republica romana, jam antea ostensum est.

Atqui hanc de qua agitur potestatem in usu semper fuisse constat. Nam in rebus trepidis utique Romanis esse solita est,

ut ait Titus Livius (1), « ultimae necessitatis » ea quae dicitur vis dictatoria. Primum per magistros populi, deinde maxime per consules, semper autem jussu senatus, illam exercitam esse vidimus. Decernere tamen Senatum « viderent consules ne quid respublica detrimenti caperet » eo etiam tempore, quamvis rarius, usurpatum est quo dictatores ipsi dicebantur. Ita fit ut, in re illa, more majorum egisse idem senatus existimandus sit. De quo tamen scripsit Mommsen : « Cette pseudo-dictature établie par le Sénat est regardée comme une institution politique établie au temps des Gracques (2). »

Falso autem. Mommsen enim, iique quibus assensus est, non alium sententiae auctorem habent quam Plutarchum. Eo enim loco quo utuntur, primum consulum dictatoria potestate usum esse L. Opimium, cum Caium Gracchum necaret, docet quidem Plutarchus (3), errat autem docendo.

Nam trecentis amplius annis ante Gracchos tribunos, decretum ultimum a Patribus fieri coeptum esse Titus Livius testis est (4). Narrat enim, anno 290 Urbis Conditae (463 a. J.-C.) ab Aequis unum consulum cum suis circumclausum esse. Fuerunt autem qui Romam venire, remque senatui nuntiare properarent. Tum « tantum terrorem incussere Patribus ut (quae forma senatusconsulti ultimae semper necessitatis habita est) Posthumio alteri consulum negotium daretur videret ne quid respublica detrimenti caperet ».

Neque cum quibusdam dixeris tum, belli causa tantum, sena-

(1) III, 4.

(2) *Manuel des Antiquités rom.*, ch. VII, p. 473. Quamdam fortasse adhibet correctionem, dicendo : « A prendre les choses en bloc », minimam vero neque satis claram. Ceterum paulo supra (p. 471) potestatis illius quasi dictatoriae usum coepisse aperte docet eo tempore quod vocat « les premières décades du VII[e] siècle » ; tum enim, si ei fidem adhiberes, « les crises révolutionnaires qui furent, pour ainsi dire, « permanentes pendant trois générations, ont créé cette pratique... qui « constituait, jusqu'à un certain point, un régime établi dominant cet « état de dissolution. » (*Op. cit.*, trad. Girard.)

Idem quod Mommsen, et post eum, de re illa sensit Antoine. (SALLUSTE, *Conjuration de Catilina*, XXIX, note 3, Paris, 1888, p. 99.)

(3) *Caius Gracchus*, 18. Lapsu quodam laudat hic Mommsen *Tiberii Gracchi* vitam (*Op. cit.*, t. III, p. 187).

(4) III, 4.

tusconsultum ultimum factum esse, neque unquam ante Gracchos eo consilio in usu fuisse ut discordiae intestinae placarentur (1). Nam bellum non agebatur, quum senatui summam magistratibus potestatem contra Manlium tribui placuit.

Stabat iste pro debitoribus, ita quidem ut turbas concitare atque Rempublicam in praeceps dare Patribus conscriptis videretur. Tum sic ab illis decretum est : « Videant magistratus ne quid ex perniciosis consiliis M. Manlii res publica detrimenti capiat (2). » Porro M. Manlium quadringentis circiter annis ante Christum vixisse nemo nescit (3).

Fieri igitur Romae senatusconsultum ultimum antiquitus usitatum est, ideoque, cum « eam potestatem per senatum *more romano* magistratui maxumam » permitti docet Sallustius (4), eo sensu res intellegenda est, non, cum quibusdam (5), ut fuerit Romanis propria, sed ut in more majorum, institutoque posita sit.

Scriptori enim Romano, qui quod legerent Romani narraret, in mentem venire non poterat legentes admonere ut de more Romano, non autem de more Graeco aliorumve populorum agi adverterent. Scripsit « more Romano » quasi scripsisset « more patrio » vel « more majorum ». De quo sane nullum erit dubium recordanti sua ipsum verba non aliter esse interpretatum, cum Catonem induceret petentem ut per consulem de conjuratis *more majorum* supplicium sumeretur (6).

Ergo res erat in usu moribusque Reipublicae, eoque ipso certam atque legitimam habeas illam necesse est.

(1) Ex illis est qui Titi Livii librum sextum annotavit, in opere dicto *Bibliothèque latine* avec la traduction française sous la direction de M. D. Nisard.

(2) Tit. Liv., VI, 19. — Notandum hoc est cum Theodoro Mommsen : « Les pleins pouvoirs sont toujours donnés en termes généraux, en vue de défendre l'Etat et de l'empêcher de subir du préjudice. » *Manuel des antiquités romaines*, etc., VII, p. 476.

(3) E Tarpeia rupe praeceps datus fuit anno 369 U. C. (384 a. J.-C.).

(4) *Catil.*, XXIX.

(5) Ex istis est Antoine, *loc. cit.*

(6) *Catil.*, LII.

*
* *

2. Quod ut gravissima ratione confirmatum habeas, satis erit, si memor fueris quid de his, Catilinae tempore, vulgo censeretur. Ut virum appellem, in republica gerenda versatum, tamque optimatibus inimicum ut omnia publica mala ab illis originem sumpsisse contenderit, neque Ciceroni ipsi pepercerit, notissimus hic Sallustii locus, ad quem maxime animum attendas haud parvi pretii est :

« Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit darent operam consules, ne quid res publica detrimenti caperet. Ea potestas per senatum, more Romano, magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque imperium atque judicium summum habere; aliter, sine populi jussu, nullius earum rerum consuli jus est (1). »

Propriis igitur verbis controversiam hic diremptam habes, et quidem firmissime et apertissime, a viro romano atque idoneo, cujus, ut vidisti, ea demum mens erat ut, acerrimus popularium partium defensor, quidquid ageret senatus, contra populi jura praesertim libentissime reprehenderet. Attamen haud cunctanter, nullaque interposita dubitatione, legitimum hoc esse profitetur ut consul, facto senatusconsulto ultimo, jam sine populi jussu imperium judiciumque summum, militiae domique, etiam in cives exerceat (2).

(1) *Catil.*, XXIX.
(2) Arbitratur Mommsen non alio fonte ea sumpsisse Sallustium, quibus jus illud senatus consulisque sic describeret, quam ex jure quodam usitato, vel, ut verbis ejus utar, « d'après une tradition de droit établie » (*Manuel des Antiquités romaines*, etc. t. VII, p. 474, note 3). Qua conjectura nihil fit nisi ut Sallustii sententiae vis quaedam major addi videatur. Willems vero, in illo quem de senatu scripsit libro (II, 252, note 6), cum hunc locum Sallustii, sibi ceterisque negantibus legitimam fuisse consulis summam potestatem, valde incommodum esse recte putet, eum de medio tolli jubet, nulla alia ratione fretus, nisi quod illum interpolatum habere sibi placeat. Cur autem habeat interpolatum haec una causa est quod eo loco apertissime docetur sententia sententiae ipsius Willems adversa. Miram sane atque singularem viam rationemque opera veterum interpretandi ! Primum de re quadam antiqua, quod tibi placet credere, credis. Deinde quidquid contra sententiam tuam apud scriptores veteres inveni-

*
* *

Neque aliter ac Sallustius sensit, Ciceronem sensisse in confesso est, non tantummodo cum post oppressam conjurationem pro se ipse diceret, sed cum de eo a culpa liberando nequaquam ageretur. In sua enim *pro Rabirio* habita oratione contendit reum jure arma sumpsisse contra Saturninum, quum factum esset « senatusconsultum ut C. Marius, L. Valerius, consules, adhiberent tribunos plebis et praetores, quos eis videretur, operamque darent ut imperium populi romani majestasque conservaretur (1) ».

Neque omittendum hanc orationem apud populum esse habitam; ex quo fit ut omnium, qui pro reo unquam dixerint, ineptissimus Cicero videndus esset, si senatusconsultum ultimum legitimum esse, utpote quod jura populi laederet, incertum vel minime habuisset. Nulla enim alia fuisset ratio viaque certior ad faciendum ut, quem ipse defenderet, populus damnaret. Quam multo prudentius probare judicibus tentasset, ut apud eos, qui primum judicaverant, fecerat Hortensius, non occisum esse a C. Rabirio L. Saturninum!

Posterius, aliquot annis post Catilinae conjurationem, cum pro Milone diceret, exclamabat : « Quis hoc credat Cn. Pompeium *juris publici*, *moris majorum*, *rei denique publicae peritissimum*, cum senatus ei commiserit ut videret, ne quid res publica detrimenti caperet, *quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt*, etiam nullis armis datis, hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium exspectaturum fuisse in ejus consiliis vindicandis, qui vi judicia ipsa tolleret (3) ? »

tur, eo ipso interpolatum atque delendum pronuntias. Quo quidem, cum nihil sit facilius, nihil simul clariori documento est te maxima esse in difficultate, nihilque habere quod respondeas. Eo accedit ut Willems non hunc tantum Sallustii locum, sed totum ejus librum tollere cogatur. Nam, in toto de *Conjuratione Catilinae* libro, ex senatusconsulto ultimo summam fuisse consuli potestatem nemo est qui negare velit quin legitimum Sallustius habeat. Rem fatetur ipse Mommsen, ideoque quod Willems sentire ausus est, memorat quidem, sed memoratum neglegit.

(1) *Pro Rabirio perd. r.*, VII et VIII.
(2) *Pro Milone*, XXVI.
(3) *Pro Milone*, XXVI.

Colligas igitur necesse est Ciceronem minime dubitavisse quin de conjuratis summum sumere supplicium senatui ipsique liceret. Neque aliter sentire Mommsen ipsum ex his ejus verbis apparet : « Il n'est pas permis de douter que, dans sa conviction, le consul et le Sénat pouvaient légalement agir comme ils le firent (1). »

Ceterum legenti eam, quae prima Catilinaria dicitur, orationem, nullum est dubium quin neque ipse rem incertam haberet, neque ab ullo audientium incertam haberi arbitraretur. Audi enim dicentem :

« Ad mortem te, Catilina, duci jussu consulis, jampridem « oportebat; in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes « jamdiu machinaris... Habemus senatusconsultum in te, « Catilina, vehemens et grave ; non deest reipublicae consilium, « neque auctoritas hujus ordinis, nos, nos, dico aperte, consules « desumus. »

« Decrevit quondam senatus ut L. Opimius consul videret, « ne quid res publica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit; « interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones, « C. Gracchus, clarissimo patre, avo, majoribus; occisus est « cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatusconsulto « C. Mario et L. Valerio permissa est res publica. Num unum « diem postea L. Saturninum, tribunum plebis, et C. Servi- « lium, praetorem, mors ac reipublicae poena remorata est? At « nos vicesimum jam diem patimur hebescere aciem horum « auctoritatis. Habemus enim hujusmodi senatusconsultum, « verumtamen inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina « reconditum : quo ex senatusconsulto confestim interfectum « te esse, Catilina, convenit. Vivis, et ita vivis non ad depo- « nendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, Patres « conscripti, cupio me esse clementem ; cupio in tantis reipu- « blicae periculis, me non dissolutum videri ; sed jam me ipse « inertiae nequitiaeque condemno... Si te jam, Catilina, com-

(1) *Manuel des Antiquités romaines*, etc., t. VII, p. 474, not. 1.

« prehendi, si te interfici jussero, credo, erit verendum mihi, ne « non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam cru « delius factum esse dicat..... Tum denique interficiam te, « quum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis « inveniri poterit, qui id non jure factum esse fateatur (1). »

Profecto, nisi jus suum certissimum habuisset consul, non commisisset ut sic apud tot tamque graves viros loqueretur; neque sane, si commisisset, abstinuisset ipse Catilina, quominus surgens jus a consule falso assumi clamaret, appellaretque populum, utpote cujus esset solius de capite civium agere. Quod eo facilius credideris, quod sperandum erat Catilinae, si ad populum, qui tum illi faveret, causa transferretur, fore ut a quaestione ipse liberaretur.

Silet tamen ille, silent amici, silent tribuni plebis; neque de jure consulis ulla est controversia, cum tantum disputetur utrum occidi conjuratores reipublicae sit opportunum, necne.

3. Fuerunt sane, pauci quidem, qui a Cicerone multos sena-

(1) De quo sic scripsit J.-B. Mispoulet : « Cicéron a beau invoquer les précédents et prétendre que le décret du 21 octobre lui donnait le droit de mettre à mort le chef de la conjuration; ce sont là des moyens oratoires qui ne pouvaient tromper personne. En effet, il ne lui était permis d'user de ce droit de vie et de mort qu'à la condition de faire déclarer au préalable Catilina ennemi public. » (*La Vie parlementaire à Rome*, Paris, 1899, p, 183.). Quod J.-B. Mispoulet vocat « des moyens oratoires » videtur mihi fuisse via minime omnium, ut ita dicam, oratoria, qua videlicet oratori nullo modo ex sententia eventus dicendi procederet, si in senatu, apud viros gravissimos, magistratus, consulares, quae juri publico aperte fuissent contraria, ea consul affirmare ausus esset. Neque reipsa contraria erant. Hostis enim judicari aliquis poterat vel a senatu ipso vel a consule, qui senatusconsulto ultimo erat armatus. « La proclamation de la loi martiale, inquit Mommsen, met les personnes qui y sont expressément désignées, ou *auxquelles les magistrats chargés de l'exécution la rapportent*, dans la situation où sont les membres d'un Etat en guerre avec Rome, qui se trouvent sur le territoire romain et ne sont pas en la puissance des Romains : les citoyens ont le droit et le devoir de les saisir et de les mettre à mort. » (*Manuel des antiquités romaines*, etc., t. VII, p. 477). Iterum paulo infra (p. 480) : « Le magistrat entre les mains duquel tombe le citoyen auquel s'appliquent ses pleins pouvoirs peut le traiter comme un prisonnier de guerre, et, par conséquent, d'après les lois militaires des Romains, prononcer contre lui n'importe quelle peine, même la mort..... (car) les pleins pouvoirs s'appliquent, sans autre forme, à ceux qui ont été déclarés nominativement ennemis publics soit par le magistrat en vertu du sénatusconsulte, soit par le senatusconsulte lui-même, et qui sont ainsi jugés par anticipation. »

tores tum dissensisse contenderent (1). Quod ad confirmandum haecce Tullii verba afferunt in quarta Catilinaria dicentis : « Video de istis (Patribus), qui se populares haberi volunt, abesse non neminem, ne de capite videlicet civium Romanorum sententiam ferat (2) ».

Notandum est primum, cum dixerit Tullius « non neminem », sic vertere Eduardum Laboulaye : « Une grande partie de ses contemporains. » Reipsa quidam tantum abesse voluerunt senatores, non sane quia jus vitae et necis senatui consulique esse negabant, quod nullius testimonio comprobatur, sed eo consilio, ut de capite civium sententiam non ferrent, sicque factionis popularis iram injuriasque certissime vitarent. Hoc tantummodo dicendum est eos, ignavorum more militum, pericula fugisse, quod, in rebus turbatis, plures quam par sit semper fecisse haud ignotum est. Ex eo quod abesse voluerunt disce non quid mente senserint, sed quid animo timuerint; ignavia hic ostenditur, non sententia (3).

*
* *

4. Quid autem de populo? Putavitne, cum scriptoribus hodiernis, per senatum consulemque jura sua laedi, an potius, cum

(1) Contendit Eduardus Laboulaye (*Lois criminelles des Romains*, Paris, 1845, p. 125).
(2) *IV Catilin.*, V.
(3) Idem Eduardus Laboulaye non legitimam fuisse consuli ex senatusconsulto potestatem sibi videri asseverat, vel ex eo quod nullum consul quod firmum esset argumentum attulerit atque dicere ausus fuerit: « Caesar intellegit legem Semproniam esse de civibus romanis constitutam : qui autem rei publicae sit hostis, eum civem esse nullo modo posse. » (*IV Catil.*, V.) Eodem prorsus argumento in prima adversus Catilinam oratione usus est. In duabus igitur quas tantum apud senatum habuit orationibus, hunc argumentandi modum adhibuit. Quem modum inde apparet virum juris publici peritissum putavisse dignum esse quem firmum senatores arbitrarentur. De quo tamen Eduardus Laboulaye exclamat : « Qu'y a-t-il de plus misérable ! » (*Oper. cit.*, p. 125, note 3.) Porro claudicasse satis paret, non quidem Ciceronis argumentationem, sed Eduardi Laboulaye scientiam. Jus enim vitae et necis, quo in cives aliquando utebatur consul, senatusconsulto ultimo armatus, modusque quo adversus eosdem jus illud exercere ei licebat, in eo niti videbantur quod illi, hostibus similes a senatu aut ab ipso dicti, non jam civium, sed hostium more corripi punirique lege possent. Cf. Mommsen, qui ita sentit. (*Oper. citat.*, VII, p. 477, et hic, paulo supra, p. 52). Legitime igitur modoque jureconsultorum argumentatus est Cicero.

Cicerone, Catone ceterisque illius temporis hominibus, ex senatusconsulto ultimo tantum jus esse consuli ut de capite civium, pro voluntate, hic agere posset?

Jam videbis.

Notissimum enim, Catilina urbem noctu egresso, die sequenti, secundam Catilinariam orationem ad populum Ciceronem habuisse, eo quidem consilio ut quae acta essent narrando explanaret. Atqui in hoc multus maxime fuit ut, cur Catilinam non occidisset, exponeret. « Interemptum esse L. Catilinam, inquit, et gravissimo supplicio affectum jam pridem oportebat, idque a me et mos majorum, et hujus imperii severitas, et res publica postulabat. »

Causam tum aperuit cur non « illum, ut erat meritus, morte mulctasset (1), » addiditque :

« Si vis manifesta manifestae audaciae, si impendens patriae periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerit, illud profecto perficiam... ut... paucorum poena vos jam omnes salvi esse possitis (2). »

Itaque de jure summo consulis neque ipse dubitabat, neque populum dubitare ita pro certo habebat ut, coram populo ipso, quamvis tum Catilinae partibus satis faveret, profiteri auderet oportuisse jam interimeret Catilinam, se vero socios ejus, si res posceret, certo esse interempturum.

Neque clamat populus id sui juris esse, non senatus, neque consulis. Dicenti consuli assentiuntur omnes, quin etiam, mense transacto, cum quod pronuntiaverat se fortasse esse facturum, id reipsa ille fecisset, conjuratis videlicet interfectis, populus magno plausu eum excepit, redeuntemque domum, postquam dixerat « vixerunt », comitata est cum lampadibus multitudo ingens, magistratus, patricii, plebeii, viri, mulieres, ita communi omnium consensu, ut undique clamaretur rem, miro quodam modo, a consule curatam esse, utpote qui periculosissimam

(1) *II. Catilin.*, II.
(2) *Ibid.*, XIII.

omnium quae fuissent conjurationum, quam minima vi, oppressisset (1).

Paulo post, Tullius, quamvis obstarent ejus inimici, auctore Catone tribuno plebis, Pater patriae a populo publice dictus est (2).

Quid plura? Jam vidimus, quod hic quaeritur de juribus senatus consulisque, id apertissime et expressissime a populo fuisse judicatum, cum, L. Opimio absoluto, jure legitimeque in cives vi senatusconsulti ultimi eum egisse censuerit. De quo scripsit ipse Mommsen controversiam pro senatu esse tum diremptam, victoresque Patres in hoc jam exstitisse :

« La victoire, inquit, a été décidée par l'échec de l'accusation formée en 634 devant le peuple contre ceux qui avaient, en vertu d'un pareil sénatusconsulte, exécuté des citoyens romains. » Quod ita annotat : « La controverse est formulée juridiquement... dans le procès qui fut intenté... par le tribun P. Decius contre Opimius et qui détermina probablement la théorie du droit public postérieur (3). »

Ex quo colligas, inter eos quibus illa summa consulis potestas initio injusta fuisse videtur, neminem non esse qui eamdem post Gracchos legitimam usu populique voluntate factam esse fortasse arbitretur. Qui fit igitur ut alibi ea potestate contra legem Ciceronem usum esse iidem arguere velint ?

Denique ut de potestate illa quid Ciceronis aetate censeretur commemoremus, quaeque jam dixerimus in pauca conferantur, haec verba ipsius Mommsen afferre liceat :

« Le parti populaire s'est également servi de ce pouvoir quand il a eu la haute main dans le Sénat (4), et César et les Césariens le traitent eux-mêmes comme ayant une existence

(1) Cf. Plutarch., *Cicer.*, XXII.
(2) *Ibid.*, XXIII.
(3) *Mannel des antiqnités romaines*, etc., t. VII, p. 473. — Cf. locum jam a nobis laudatum (p. 47) in quo idem fatetur usum senatusconsulti ultimi fuisse, ut verbis ejus utar, « un régime établi. »
(4) « Le Sénat de Marius décréta en 671 « ut curarent consules (Norbanus et Scipio) ne res publica acciperet detrimentum. » (Mommsen.)

légale, tout en blâmant l'usage qui en est fait (1). Le pouvoir du Sénat de soumettre les citoyens à la loi martiale, avec les conséquences illimitées de l'époque royale, n'a pas été sérieusement contesté dans le dernier siècle de son gouvernement (2). »

Exceptis igitur iis qui cum Cicerone inimicitias gerebant, qui quidem, conjurationis tempore, senatusconsulto reclamare nequaquam ausi sunt, nemo fuit qui, in puniendis conjuratis, jure suo usum esse consulem negaret.

Neque enim negari poterat. Quod quidem, tum evertendo negantium argumenta, tum quaedam afferendo, ex quibus rem affirmari liceret, spero me fecisse ut legenti probaretur (3).

Ergo legitime se gessit in hac re Cicero.

Nonne etiam prudenter se gesserit, jam nobis est quaerendum.

(1) « Dans le vote sur les complices de Catilina César reconnaît le droit du Sénat, mais déconseille d'en faire une application capitale. Lorsque le Sénat lui applique le même principe, après sa rupture avec lui, il n'attaque en la forme (*De Bell. civ.*, I, 7), que la violation du droit d'intercession, mais non le droit du Sénat dont il s'agit. » (Note de Mommsen.)

(2) *Manuel des antiquités romaines*, etc., t. VII, p. 473.

(3) Nuperrime haec scripsit J.-B. Mispoulet : « Le droit public de Rome admettait franchement la raison d'Etat et en réglait l'application. Cicéron, investi, conformément aux précédents, de la mission de veiller au salut de la République par le sénatusconsulte du 21 Octobre, avait le droit d'exercer contre les ennemis de l'Etat le pouvoir militaire en même temps que la juridiction criminelle, qui faisait de lui le juge suprême et souverain de tous. » (La *Vie parlementaire à Rome*, Paris, 1899, p. 228.) Iterum, paulo infra (p. 231) : « Le droit public d'alors l'autorisait à prononcer lui-même la condamnation capitale contre ceux qu'il jugeait coupables. »

Jam in hanc sententiam ire, neque non periculose fortasse, ausus eram, quamvis fere omnes dissentirent, neque ullus mihi in manus liber venisset quo eadem sententia defenderetur, cum tandem scriptori cuidam, in opere hujusce anni eam defendenti, occurrere mihi contigit.

PARS II

IN PUNIENDIS CONJURATIS PRUDENTER CIVILIQUE CONSILIO EGISSE CONSUL VIDETUR

Dicebat aliquis, vir ingenio et virtute eximius, « omnia mihi licent, sed non omnia expediunt (1) ». Quibus significabat verbis multa licita esse quae omittere tamen expediat. Qua poena Catilinarii facinoris socios affecit Cicero, ea illos juste legitimeque affectos esse comprobatum fuisse forsitan credas. Prudenterne egit consul cum jure suo uteretur?

Sunt qui eum contendant neque quod esset opportunum fecisse, neque quod fecerit opportuno fecisse modo. Nam arguunt illum rem ad senatum retulisse judicandam et graviorem, quam necessarium esset idoneumque, sententiam suasisse atque esse exsecutum.

De utroque jam disseram, ita quidem ut, sapienter civilique consilio, et cuncta ad Patres vocasse et conjuratis vitam eripuisse eum ostendere coner.

(1) S. Paulus (*I Corinth.*, X, 22).

CAPUT I

OSTENDITUR BENE FECISSE CONSUL QUI REM TOTAM AD SENATUM VOCAVERIT

I. — *Res ipsa exponitur.*

Die vigesima prima Octobris anni 63 ante Christum (xii ante diem Kalendas Novembres anni 691, u. c.), senatusconsulto ita armatus fuit Tullius ut jam conjuratos vel capitis damnare ipsi liceret.

Porro die octava Novembris, postquam, apud Laecam, Catilinam necandi consulis consilium cepisse a Fulvia didicerat, senatum coegit, primamque illam Catilinariam orationem habuit.

Nocte sequenti, exivit urbe Catilina. Aliquanto post, deprehensi sunt Allobroges, adductique cum conjuratis per consulem ad senatum, qui ipse de re quaestionem exercuit, reosque jussit custodiri.

Idem senatus, postera die, quae fuit quarta Decembris, L. Tarquinium audivit de conjuratis Crassoque ipso indicantem, atque indicium, consulente Cicerone, falsum videri decrevit.

Denique, interposita nocte, Patres iterum vocavit consul, rogatique illi quid de conjuratis faciendum esse censerent, censuerunt eos a consule esse interficiendos.

Itaque, quod ipse vi senatusconsulti ultimi agere poterat, id per senatum agere consul maluit. « (Cette conduite) n'est justifiée, inquit Mommsen, par aucun précédent ; elle est également contraire à l'usage et à la nature de l'institution : cette dernière admet l'autorisation par le Sénat d'une libre juridiction du consul, mais non la juridiction du Sénat. C'était le dernier pas, et un pas de faiblesse, dans cette voie périlleuse par laquelle le pouvoir exécutif passa de la magistrature à la majorité du Sénat (1). »

(1) Mommsen, Marquardt, Krüger : *Manuel des Antiquités romaines,*

Novam fuisse rem concedamus. Immo, cum quis eo consilio ad conventum quemdam rem faciendam refert, ne ipse periculo suo faciat suisque, ut ita dicam, cervicibus onus imponat, non est quod dicere velimus id esse probandum. Nam nulla est tyrannis multorum in commune congressorum tyrannide pejor, cum nemo sit inter illos a quo ratio peti possit, quique in se recipiat quod major pars consilii jusserit. At videbimus infra Tullium consulem, quod de conjuratis censeret senatus, suo id non minore periculo esse jussurum, quam quod ipse censuisset.

Dicet forte aliquis non potuisse rem ad Patres vocari quin contra jus ageretur. Equidem potuisse certum affirmare non ausim. Duo haec tamen animadvertenda habentur, quae satis animadversa fuisse non video.

Primo ea fuit consuli potestas, senatusconsulto ultimo facto, ut quae vellet eoque quo vellet, modo, judicare illi liceret. Nullius igitur juri nocere poterat nisi suo : de suo autem jure si quid cedere eum juvaret, cujusnam referebat? Ipse videret !

Quod eo magis attendendum est, quod consuli, ut ea quae essent sui officii ageret, quodam consilio uti licebat, atque ad illud consilium quos vellet homines admittere. Jam vero cur ille, si forte placeret, senatu ipso, ut consilio, uti non poterat?

Hoc autem diligentius observandum puto senatui eam fuisse certo facultatem ut cives quosdam hostes judicaret, quod idem fere erat ac si illos jussisset interfici. Jamque, post factum decretum ultimum, jure illo in Catilinam et Mallium usus fuerat (1). Atqui nihil fere aliud a senatu petivit consul nisi ut, quod in Catilinam fecisset, idem in Catilinariae conjurationis conscios facere vellet. Nam, quia in custodiis habebantur, unum Patribus erat eos judicare hostes et vita privare.

Nihil ergo esse videtur cur rem ad senatum vocare consuli non licuerit; quo autem consilio vocaverit, nunc quaerendum est.

traduit sous la direction de Gustave Humbert (Paris, 1892), t. VII, p. 481.

(1) Sall., *Catil.*, XXVI.

II. — *Quo consilio rem ad senatum consul vocaverit.*

Sunt qui negent ipsum de conjuratis sententiam ferre noluisse Ciceronem alia mente, nisi ut gravissimae pericula ferendae sententiae effugeret. Noluisse eum arbitrantur popularibus inimicitiis se offerre :

« Ce serait mal connaître Cicéron, inquit J.-B. Mispoulet, que de le croire capable d'un pareil acte d'énergie, surtout après le procès de Rabirius (1). »

Duo hic habes contra Ciceronem parum vere dicta : eum inerti et male forti animo semper fuisse, atque ea demum in re, more suo, segni timidoque egisse consilio. Quod utrumque facturus sum, pro mea facultate, ut falsum existimes.

*
* *

1. Atque ut primum dicam de Ciceronis indole animoque, fateor fuisse illum, aliquo modo *mente incertum*, nimisque in contrarias partes distrahi solitum.

Neque sane mirum. Illi enim ea erat vis ingenii ut, ubi consilium esset capturus, quid boni quidve mali utraque sententia haberet, facillime clarissimeque perspiceret. Citius sane firmiusque se ad agendum parat, qui minus acuto utitur ingenio. Cum enim in iis, quae mente agitat facienda, quid sit fortasse incommodi male videat, minime cunctatur, inque faciendo facile promptus est.

Equidem haud nescio fuisse qui sagaces in perspiciendo et firmi in deliberando simul exstarent. Caesarem appellare satis sit. At praeterquam res habenda est rarissima, Caesari eximium quidem fuit vel in scribendo ingenium ; attamen neque impetu, neque splendore quodamque quasi lumine orationis praestitisse eum notum est. Cujus rei ea ratio est quod animi motibus imperare solebat.

Itaque forsitan quaesieris num idem homo simul esse possit

(1) *Oper. cit.*, p. 203.

is quem sui impetus animi saxeum ferreumque non moveant, atque is qui orationis dulcedine et quadam incitatione et nitore legentes delectet. Quod idem est ac si quis fieri forte posse negaverit ut, vi ingenii atque virtute, Caesarem esse et Ciceronem uni homini contingat.

Puto igitur esse concedendum tanta mentis sagacitate tantaque animi mobilitate et mollitia fuisse praeditum Ciceronem, ut is esset qui in consilio capiendo aliquando incertus cunctaretur.

Neque tamen semper cunctatus est, neque tam saepe quam dici est solitum. Tria enim fuerunt per totam ejus vitam tempora, gravissima inquam, in quibus quid consilii caperet, dubium forte habere posset : primo quando Catilinaria habita est conjuratio, deinde exorso civili bello, postremo cum mortuo Caesari, se ultorem et quasi haeredem Antonius praestitit.

Porro in civili bello inter Pompeium et Caesarem haesisse eum ancipitem fatendum est; neque tamen hoc neglegendum, ita res tum se habuisse ut civi bono libertatisque amico haerere fortasse liceret.

In ceteris autem duobus temporibus, animo eum fluctuatum esse, nemo est qui jure contendere possit. Quis enim esse poterat in conjuratione deprehendenda vigilantior, in opprimenda promptior? Ubi rem parari certior fit, Catilinam ipsum ad senatum vocat gravissimisque insectatur verbis; simul curat ut sint oculi circum conjuratos auresque; quid secreto meditentur per suos videt auditque, atque facit ut, coacto senatu, inviti de re fateantur.

At sane, cum fuit capitis eosdem damnaturus, proxima ante nocte, non potuit quin, somno adempto, effundendi civium sanguinis imagine commoveretur. Quod illi profecto adeo non est exprobrandum, ut contra decori sit atque ornamento. Signum enim est eum fuissse natura humanum (1).

(1) De se ipse dixit : « Me natura misericordem, patria severum; crudelem vero nec natura nec patria esse voluit. Denique istam ipsam personam vehementem et acrem, quam mihi tempus et respublica imposuit, jam voluntas et natura ipsa contraxit : illa enim ad breve tempus severitatem postulavit; haec in omni vita misericordiam bonitatemque desiderat. (Orat. *pro P. Sylla.*)

Verum quum venit tempus agendi, postquam, contra Silanum pro morte conjuratorum dicentem, Caesar eloquentissime locutus erat, quasi contrarias opiniones breviter commemoraret, Silano assentiri non dubitavit, lataque a Patribus sententia, celer in agendo, ante noctem conjuratos interfecit.

Neque segnius Antonio restitit. Isti enim, nulla adhibita cunctatione, hostem se professus est. Cum vero adversus hominem multo milite circumdatum, nullum esse locum oratori, sed esse ad arma tantummodo recurrendum arbitraretur, Roma profectus est.

Veliae autem in Brutum incidit, Italia quoque exeuntem. Qui hortatus est eum vehementer ut Romam rediret, ubi eloquentia habenda non esset inutilis libertati. Tum ille, neglecto periculo, urbem regressus, celeberrimas illas Philippicas habere coepit orationes, quibus, velut armis, strenue atque constantissime pro republica dimicavit, usque ad eam diem cum, devicta libertate, supremum hoc ei amoris pignus dedit, ut, satis jam se vixisse ratus, impigre aequissimoque animo, Antonii sicariis cervices porrigeret.

Itaque si belli civilis tempore cunctatus est quid faceret incertus, at certe neque in conjuratione deprehendenda vel opprimenda, neque in nitendo contra Antonium, ullo modo ita haesit ut consilia ejus torperent.

Ceterum, quoquo modo de ejus *consiliis* se rem habuisse volueris, hoc sane fateberis eum nunquam timore *ignavoque animo* egisse.

Neque sane ei fuisse contenderim hanc animi fortitudinem qua quis, rebus adversis major, omnia constantissima immotaque mente sustinet, saxo illi similis quod Vergilius dixit mediis in fluctibus, mole sua stare. Vario enim fortunae flatu Cicero jactatur; in rebus bonis exsultat, in malis jacet. Virum autem vere fortem existimes qui, cum sit, ut Horatii verbo utar, «cereus» animo commoveri, ferreus est ad ineunda tentandaque pericula. Immo quo magis est ille cereus, quo magis dolore mordetur, sentitque animo quanti sit pretii id quod in aleam

casus committit, eo majorem esse in se ostendit hanc, quae viro laudi habenda est, fortitudinem.

Ignavum fuisse arguis Ciceronem? Quodnam sit igitur periculum quod metu vitaverit fac ut moneas. Viam enim oratorum vix ingrediebatur, cum a quodam Syllae liberto accusatus est Roscius. Inter autem tot tamque graves oratores nemo fuit qui reum defendere auderet, iraeque proscribentium se offerre. Unus ausus est Cicero, fecitque ut Roscius a quaestione liberaretur.

Illud posuit principium, sibique ita constitit, ut primo aetatis ejus tempori extremum tempus reperias simillimum. Nam ultimum vitae annum consumpsit in quodam quasi bello periculosissimo gerendo cum Antonio, ut dixi, viro omnium potentissimo. Audi unum ex nostris diserte scribentem :

« La première Philippique, si on la rapproche des autres, paraît timide et pâle. Quel courage cependant n'a-t-il pas fallu pour la prononcer dans cette ville indifférente, devant ces sénateurs effrayés, à quelques pas d'Antoine furieux, menaçant, et qui, par ses émissaires, écoutait tous les propos qu'on tenait contre lui : Cicéron finissait comme il avait commencé. Deux fois à trente-cinq ans d'intervalle, il protestait seul, au milieu du silence général, contre un pouvoir redouté qui ne souffrait pas de résistance (1). »

Neque tum, per illud, ut ita dicam, unius anni proelium, quidquam, quovis tempore, de virtute constantiaque remisit. Cum vero victus, non domitus, nihil jam pro libertate haberet quod faceret, eam forti morte coluit.

Ignaviter quidem mortuum esse illum Pollio accusavit : mentitus est in eum quasi sibi ipse facilius sic ignosceret quod eum infidus deseruisset, immo tradidisset. At ipse Titus Livius, qui illi minus aequo favere est solitus, constanti animo mortem accepisse eum confessus est.

Ex Plutarcho autem notissimum est eum, ubi Heren-

(1) Boissier, *Cicéron et ses amis*, 3e édit., Paris, 1874, p. 77.

nium ejusque sicarios, effuso cursu, venientes post se audivit, lecticam qua ferebatur poni jussisse. Tum sinistra manu ad mentum adducta, ut solebat, turbam sicariorum oculis intentis respexit. Horridi erant illi et pulvere sordidi capilli, vultus exsanguis longoque moerore deformis, ita quidem ut miserentes plurimi militum caput obnuberent, dum eum Herennius jugularet : ipse vero, capite extra lecticam sponte posito, sicariis jugulum praebuerat.

*
* *

2. — Igitur animi fortitudine Cicero haud caruit. Quod jam indicio est illum de Catilinae sociis ad senatum non eo retulisse quod sibi, ut dicunt, segnis homo timeret.

Adde quod errant qui putant Rabirii causam eam fuisse cujus memoria ille impelleretur ut rem ad senatum vocaret judicandam, non vero ipse judicaret. Nam accusatus erat Rabirius non quidem cives injuria judicavisse, sed exsecutum esse senatusconsultum adversus cives Romanos vitiose factum. Non aliam ob causam a duumviris erat damnatus, in eoque forsitan esset ut a populo ipso damnaretur, nisi, sublato per praetorem russi coloris vexillo, dimissa fuissent comitia. Itaque eo demum exemplo uti poterat tantum Cicero ut persuasum haberet se consulem, etiamsi necari conjuratos senatus ipse juberet, non esse a culpa liberandum, si culpa esset, utpote qui senatusconsultum esset exsecuturus. Quod mihi certe luce clarius videtur.

Igitur de Catilinae conjurationis consciis ad senatum retulit, non quia sibi ipse metueret, neque eo consilio ut periculo subtraheretur. Quare autem retulerit, jam sum breviter explanaturus.

*
* *

Parum fecisset consul si principes conjurationis tantummodo e medio sustulisset. In civitate enim illa romana, cum populus rerum esset arbiter rempublicamque teneret, curandum erat consuli ut pessimi homines placere populo jam desinerent. Si

res secus se haberet, etiamsi Lentulum aliosque occidisset, timendum illi erat ne semper conjuratio vigeret, magnaque spes Catilinae relinqueretur. Testis est enim Sallustius populum Catilinae primum ejusque partibus favisse.

Itaque hoc fuit in primis consuli consilium ut a nefandis hominibus populum alienum efficeret; neque alia est causa cur rem totam ad Patres revocaverit. Pone enim illum solum pro jure suo de re cognovisse et judicasse : clamitare coepissent damnatorum amici eos a consule clam fuisse damnatos, quamvis essent crimine insontes, eoque ipso magis etiam quam antea causae eorum, pro qua necati injuria essent, favisset populus, graviusque jam dissensisset ab illo consule illisque optimatibus qui, odio ac factione, homines a culpa vacantes interficere non dubitassent.

Rem igitur, cum ad judices ordinarios non esset rejicienda — quod infra videbimus — ad Patres retulit, ut praesentibus multis, tribunis etiam plebis hominibusque popularibus, palam cognosceretur atque judicaretur.

Quid? Nonne legentium menti occurrit quomodo, legatis Allobrogum comprehensis, senatum coegerit ut, tabellis prolatis atque recitatis, indicia ederentur, omniumque oculis pateret quam scelesta nefandaque conjurati meditarentur. De quibus omnibus, misso senatu, populum certiorem facere ipse voluit. Adde quod senatores constituerat, ad ea quae dicerentur facillime persequenda consuetudine et celeritate scribendi idoneos, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. Quae cuncta, eo modo perscripta, curavit ut per totam Italiam divulgarentur (1).

Audi quemdam ex nostris dicentem : « On comprend à merveille que Cicéron, pour donner à l'instruction judiciaire la publicité la plus retentissante ait pris ce parti. » Optime hacte-

(1) Cf. supra, p. 10, et *Pro Sylla*, 14. — Hoc fuit ab initio Tullio consilium ut Catilinam ejusque socios vere conjuravisse, caedesque et incendia esse meditatos populus persuasum haberet. Dicebat enim in *II Catilinaria* (IV) : « Quod cooptavi, jam sum assecutus, ut vos omnes factam esse aperte conjurationem contra rempublicam videretis. »

nus ille; haec vero addit : « Mais pourquoi a-t-il demandé au Sénat de juger les conjurés (1)? »

Quod quaerenti facile sane respondeas.

Primum enim, qui legitime prudenterque ad id temporis omnia retulisse ad senatum consulem putat, is parum constare sibi videtur, cum eum male vitioseque duobus sequentibus diebus idem fecisse existimat.

Deinde, quandoquidem consul ab initio fecerat, rectissime quidem te judice, ut cum ipso senatu rem totam gereret, mirum sane fuisset si illam, ultimo die, a senatu ad se solum revocasset. Atque eo magis mirum quod res jam non erat integra. Tertia enim die Decembris testes senatus, voluntate consulis, audiverat : apud eum tabellae fuerant recitatae, indiciaque exposita, tota denique inquisitio facta. Sequebatur sane ut sententiam ipse, eadem consulis voluntate, ferret. Non erat enim quod judices, cognita causa, judicare consul non pateretur.

Denique rem palam cognitam palam judicari opportunum erat. Nisi enim palam in curia judicata esset, non adfuissent conjuratis qui pro eis dicerent, occasioque amicis eorum data esset duriorem arguendi sententiam, remotis reorum defensoribus, ab uno homine latam. In ea fuit igitur mente consul ut populus persuasum haberet fuisse qui reos defenderent, qui contra mortis poenam eis inferendam, si quid esset dicendum, dicerent, audivisse simul omnia magistratus suos tribunos, cumque hi appellati abstinuissent quominus intercederent, signum esse nihil adversus conjuratos fuisse factum quod fieri non aequum esset atque legitimum.

Causam ergo habes, eamdemque, ut mihi videtur, optimam, cur in senatu consul de conjuratis sententiam ferri voluerit.

Negatum est vero unquam futurum fuisse ut Cicero damnaretur, si vi potestatis suae ipse judicasset : « Il est probable que personne n'eût osé le poursuivre; en tout cas, il ne se fût point trouvé un jury romain pour le condamner (2). »

(1) J.-B. Mispoulet, *op. cit.*, p. 203.
(2) J.-B. Mispoulet, *ibid.*, p. 231.

Haec autem asseveranti tria mihi videntur brevissime respondenda.

Ut de judicio contra Ciceronem lato primum dicam, non est obliviscendum, quod antea exposuimus, si quis proprie dicere velit, non fuisse vere damnatum Cicerorem, sive quia priorem judicum sententiam posterior sententia eorumdem irritam fecerit, sive quia, ut ipse Mommsen notavit, judicium tulisse minime illi habendi sint, sed vim quamdam tantum adhibuisse, cum furenti Clodio forumque tenenti parerent. Quod cum ita sit, quocumque modo egisset consul, bona malave occasione accepta, fecisset profecto Clodius ut vis ei inferretur.

Accedit ut ei aqua et igni sit interdictum, non quia rem a senatu judicari permisisset, cum ipsi soli fuisset judicanda, sed quia cives romanos occidisset. Cujus rei potuisse eum reum fieri, vel si sententiam solus pronuntiasset, nemo est qui non apertissime videat.

Denique potestatem ex senatusconsulto ultimo consuli datam negant legitimam fuisse plerique nostrae aetatis scriptores. Quos quidem errare existimo elaboravique ut comprobarem.

Verumtamen si ea res est ut de illa viri doctissimi, omnique studio et ira immunes, in errore versari possint, suspicari licet quam facile homo, cui esset animus impotens mensque odio capta, contra legem consulem egisse vel bona fide crediderit (1).

Ex quibus cunctis colligas tandem oportet in eo prudentem fuisse atque sapientem Ciceronem, quod totam rem ad senatum

(1) Perspicuum est J.-B. Mispoulet, in loco de quo hic agitur, certum habere potestatem consulis, facto senatusconsulto ultimo, fuisse omnino summam, ita quidem ut ei etiam cives romanos interficere pro jure suo liceret, neque opus esset rem ad senatum referre, immo peccaret si referret. Illi tamen loco hunc ejusdem locum, jam laudatum, conferre fortasse erit opportunum : (Cicéron) « a beau invoquer les précédents (dans la première Catilinaire) et prétendre que le décret du 21 octobre (id est senatusconsultum ultimum) lui donnait le droit de mettre à mort le chef de la conjuration; ce sont là des moyens oratoires qui ne pouvaient tromper personne. En effet, il ne lui était permis d'user du droit de vie et de mort qu'à la condition de faire déclarer, au préalable, Catilina ennemi public. » Haec cum illis male constare fatendum est, immo, si quid sentiam dicere audeam, duo loca inter se aperte pugnare videntur, neque tamen, quod forsitan mireris, alterutrum verum putandum est, ut certe ex dictis hic, et supra (p. 52), intellegi licet.

vocaverit : nulla fuit enim via melior ut Catilinae partibus populus favere desineret, quod necessarium fuisse quis est qui negare velit ?

Ex sententia autem consulis rem successisse ex Sallustio constat. Etenim plebs, « quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente, Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum tollere : veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat » (1). Cujus rei testem esse quoque Plutarchum jam supra vidimus (2).

Re igitur tota ad senatum revocata, id assecutus est consul quod conjuratorum facinora notiora faceret, quasique in luce poneret, atque sic a Catilinae partibus omnium animos alienaret.

Hoc autem nunc quaerendum est num, de conjuratis cum ad Patres referret, opportunum fuerit hortari eum ut juberentur necari, neque poena minore afficerentur.

CAPUT II

DE POENA MORTIS IN CONJURATOS STATUTA

Non desunt qui existiment Ciceronem consulem, quamvis grave supplicium a Catilinae sociis sumere ei liceret, prudentique consilio de conjuratione cognoscere senatum et sententiam ferre vellet, prudentius tamen facturum fuisse, si summo jure suo non usus, Caesari, pro minore poena quam capitis dicenti, assentiendum sibi esse putavisset.

De quo tria haec ponenda mihi quidem videntur, quae sim confirmare nixurus : primo periculosiorem fuisse conjurationem quam quis lenioribus poenis sapienter mulctaret, deinde non

(1) *Catil.*, 48.
(2) Cf. p. 54-55.

aliam fuisse opportunam poenam nisi quae foret gravissima quaeque extra ordinem inferretur, denique, ut quae tum facienda erant faceret, vera animi fortitudine opus consuli fuisse.

I. — *Quam periculosa fuerit conjuratio.*

1. Non leviora quaedam meditabantur conjurati sed gravia, nefanda, atrocia.

Cum enim consulatum ambiret Catilina, neque via legitima quo tenderet pervenire posset, vi eripere, quod frustra petiisset, mente statuerat. Tum « agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum quae utraque eis artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores quos pessima ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant (1). »

Neque illi, quibus adjutoribus vel etiam amicis utebatur, ii erant qui incendio aut caede abhorrerent. Iterum audi Sallustium : « In tanta tamque corrupta civitate, id quod factu facillumum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se tanquam stipatorum catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo... bona patria laceraverat, quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret; praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti judiciis aut pro factis judicium timentes, ad hoc, quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat; postremo omnes quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, ei Catilinae proxumi familiaresque erant... Sed juventutem quam... inlexerat, multis modis mala facinora edocebat... Si causa peccandi in praesens minus subpetebat, nihilo minus insontis sicuti sontis circumvenire, jugulare; scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat (2). »

(1) Sallust. *Catil.*, V.
(2) *Catil.*, XIV-XVI.

Itaque turba illa ad omnia erat parata; quiaque, ut regnum sibi pararet, sicut ait idem Sallustius, consules atque optimum quemque esse interficiendos, ne quis sibi obstaret, ipse decreverat, atque omnia simul esse miscenda incendioque turbanda, major audacia, majorque malorum facinorum usus suis inerat quam ut in exsequendo mandata cunctarentur.

Adde quod multitudo illa mala, inopia pravaque mente invida, quae, in quaque magna civitate, semper novarum rerum auctoribus favet, omnia ferro flammaque vastavisset non alio fortasse consilio nisi ut, quasi ulta fortuna sua mala, animo indulgeret.

Equidem haud ignoro Napoleonem, nomine tertium, scripsisse : « La conduite de Cicéron et du Sénat ne peut guère être justifiée. Violer la loi était peut-être une nécessité ; mais dénaturer la situation pour la rendre odieuse, recourir à la calomnie pour avilir les accusés... c'était une preuve évidente de faiblesse. En effet, si les intentions de Catilina n'eussent pas été travesties, l'Italie entière aurait répondu à son appel, tant on était fatigué du joug humiliant qui pesait sur Rome... C'est par des bruits habilement répandus, par des exagérations dont Cicéron se moqua lui-même plus tard (*Ad Attic.*, I, 14), que les dispositions du peuple, d'abord favorables à la révolte, se tournèrent bientôt contre elle (1). »

Neque unus fuit Napoleo qui ita sentiret. Nuper etiam eadem sententia alii cuidam ex nostris placuit (2). De ea igitur pauca hic dicenda sunt.

Ut de Catilina primum dicam, ita ad perverse agendum indole pronus erat atque tam multorum, Syllae tempore, sanguinem effuderat, totque aliis inde sceleribus se adstrinxerat, ut

(1) *Vie de César*, liv. II, ch. III, Paris, 1865, tom. I, p. 286.
(2) BLONDEL, *Histoire économique de la conjuration de Catilina*. Paris, 1893, p. 401-402 : « Les caudataires de l'aristocratie de la naissance, tels que Cicéron, les membres de l'aristocratie de la fortune, tels que Salluste, ont eu seuls, avec leurs copistes, la parole devant la postérité, et ont défiguré Catilina, dans des récits atroces, les uns absolument mensongers, les autres empreints d'une exagération évidente. »

nulli jam rei malae, quaecumque esset, impar fuisse existimandus sit.

In hoc quidem satis consentitur ut eum Sallustius atro paulo magis, quam forte par esset, calamo oblinerit. Sive enim quodam artis studio, quo videlicet magis in libro exstaret emineretque Catilina, sive quia Caesar, cui mente favebat, eo minus conjurationi addictus fuisse videndus esset quo atrocior illa videretur, graviore forsitan penicillo speciem Catilinae animique imaginem depinxerit.

Attamen minime neglegenda est imago illa, quam, si in universum consideraveris, non vero in singulas partes vel minimas divisam, homini similem fuisse facile arbitraberis (1). Nam praeterquam, si quid forte Sallustium adduxit ut Catilinae scelera paulum augeret, nulla certe causa fuit cur falsa ementiretur, non desunt alii qui de his sceleribus cum eo fere consentiant.

(1) Hic habes illum celeberrimum Sallustii locum : « L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae, supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cujus rei lubet simulator ac dissimulator; alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc, post dominationem L. Sullae, lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque eis artibus auxerat, quas supra memoravi. » (V) Quibus haecce alibi adduntur : « Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat, cotidiano usu atque inlecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. » (XIV) « ... Jam primum adulescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae, alia hujuscemodi contra jus fasque. Postremo captus amore Aureliae Orestillae, cujus praeter formam nihil unquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate, pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem mihi res in primis videtur causa fuisse facinus maturandi. Namque animus impurus, dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur colos ei exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus ; prorsus in facie voltuque vecordia inerat. Sed juventutem, quam, ut supra diximus, inlexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testis signatoresque falsos commodare ; fidem, fortunas, pericula vilia habere, post, ubi eorum famam atque pudorem adtriverat, majora alia imperabat. » (XV, XVI.)

Scripsit enim Plutarchus conjurationis principem, Lucium Catilinam, natura audacem fuisse et paratissimum et versutissimum (1). Qui, cum multis sceleribus erat coopertus, tum nefarium stuprum cum filia fecerat, fratremque interfecerat, atque interfectum, ne in judicium ipse vocaretur, Syllae suaserat ut, veluti viventem, ad proscriptorum numerum adscriberet. Oblatis autem quotidie epulis, delectamentis, cujusque generis voluptatibus, plerosque adolescentium corruperat (2).

Neque aliter dicebat, conjurationis tempore, Cicero. Attamen tot tantaque scelera neque aperte neque paulo obscurius narrare ausus esset, si fuisset illi timendum ne quis surgens eum falsa asseverare pronuntiaret, ideoque fidem illi vel de ceteris habendam esse negaret.

Equidem haud nescio ea opponi esse solita quae posterius. in oratione pro Cælio habita, professus fuerit. Consuetudines enim cum Catilina Coelius habuerat, quae ab accusantibus illi vertebantur crimini. Eas igitur exstitisse, cum negare non posset causae patronus Cicero, unum hoc supererat ut eas non adeo graves fuisse ostendere conaretur, ideoque minus atro quam antea colore Catilinam describeret. Quod legenti quae tum dixerit non est obliviscendum. His igitur usus est verbis :

« Habuit enim ille (Catilina)... permulta maximarum non
« expressa signa, sed adumbrata virtutum... Erant apud illum
« illecebrae libidinum multae; erant etiam industriae quidam
« stimuli ac laboris. *Flagrabant vitia libidinis apud illum;*
« vigebant etiam studia rei militaris. Neque ego unquam fuisse
« tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis, diver-
« sisque inter se pugnantibus naturae studiis, cupiditatibusque
« conflatum. Quis clarioribus viris *quodam tempore* jucundior ?
« Quis turpioribus conjunctior ? Quis civis meliorum partium
« aliquando? *Quis tetrior hostis huic civitati?...* Illa vero:.. in
« illo homine mirabilia fuerunt comprehendere multos amici-

(1) Cf. SALL. : « Animus audax, subdolus, varius » ; et CIC., *Pro Caelio*, 6, 14 : « Hac ille tam varia, multiplicique natura. »
(2) PLUTARCH., *Cic.*, 10.

« tia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod haberet; « servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore « corporis, scelere etiam si opus esset, audacia... *Neque unquam « ex illo delendi hujus imperii tam consceleratus impetus exsti- « tisset, nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facili- « tatis et patientiae radicibus niteretur...* Me ipsum, me, « inquam, *quondam* paene ille decepit, quum et civis mihi « bonus et optimi cujusque cupidus et firmus amicus ac fidelis « videretur (1). »

In his quaedam animadversa tibi me voluisse vidisti. Ea sunt enim ex quibus appareat aut ad omnia facienda, ut quo tenderet perveniret, paratum fuisse Catilinam, aut parum haec firma esse quae pro illo a quibusdam opposita sunt (2).

Hi enim scripserunt Catilinam non ita fuisse sceleribus coopertum eo manifestum esse quod, anno 69 (a. J.-C.), cum aliis quatuor et sexaginta senatoribus, a censoribus e senatu non fuerit ejectus, neque eum cum bonis consuetudines habuisse Cicero negaverit, neque tandem idem Cicero ab illo ipse abhorruerit, cum in eo fuerit, ut illum judicio defenderet.

Quibus est respondendum, cum plura esse profecto quae cur ita se res habuerint causam praebeant, tum id praesertim *quondam*, *quodam tempore*, a Catilina multos *deceptos esse,* qui nihil in illo tum viderent nisi ea quibus ad se vel optimum quemque alliceret.

Accedit ut nondum quaedam gravia admisisset scelera. Ut de uno tantum dicam, filium suum ipse tum non occiderat, quam rem nefandam postea commisisse ore omnium accusatus fuit (3).

Ex his autem quae contra eum narrata sunt, nihil vel fere nihil esse verum credere eosdem juvat, ex eo quod de adversariis adversarii talia narrare, eo tempore, soliti sint. In quo eos errare recte existimaveris. Praeterquam enim id sentienti jam absti-

(1) *Pro Caelio*, V-VI.
(2) In illis est Blondel : *op. cit.*, p. 61-69.
(3) Sallust., *Catil.*, XV ; Cic., *I Cat.*, VI.

riendum est, quin de illius aetatis hominibus quidquam credat vel etiam quaerat, tam multi de Catilina dixerunt, tantaque in luce ejus scelera posita fuerunt, ut de iis quidem non sit quod dubites.

Non erat enim sane Catilinae adversarius, ut unum appellem, Sallustius ipse qui, tres et viginti annos natus, conjurationis tempore, quid de Catilina non ab inimicis, sed a plurimis sentiretur notum habere facillime potuit. Qui etiam factum esset ut Cicero de ejusdem sceleribus ita in senatu vel in foro diceret, si timendum illi esset, ut jam dixi, ne amici hominis eum mentiri clamarent! Et re vera non clamaverunt, tacendoque confessi sunt nihil esse quod negarent (1).

Neque est neglegendum animo audaci atque ad omnia parato non tantum fuisse ipsum Catilinam, sed inter eos, qui illum sequerentur, impetu vitiisque multos ei fuisse similes, vel etiam praestitisse, ita quidem ut, si ipse forte in re mala haesitavisset, haesitantem stimulassent.

At, inquiunt, minime intellegi potest quare Catilina, urbe undique vastata, in quadam quasi solitudine regnare voluerit.

Optime quidem dictum! Res autem non ita se habebat. Ea enim Catilinae mens erat, non quidem ut urbem solitudinem quamdam faceret, sed ut, interfectis iis qui sibi obstarent, vastatisque eorum bonis, jam sine illo metu ullaque cura regnaret.

Nihil est igitur quod incredibile existimes ex iis quae a conjuratis parata fuisse veteres cuncti scriptores consentiunt.

Neque sane de iis tibi dubitare licet eo quod forte, vel cuique populari civitati animo faveas popularisque homo Catilina tibi placeat, vel, liberae civitati inimicus, quidquid libertatem ever-

(1) Lege quid de Catilina scripserit Mommsen : « Catilina fut l'un des plus sélérats dans ce siècle fécond en scélératesse. Ses tours de jeunesse appartiennent aux greffes criminels, plutôt qu'à l'histoire. Tout son extérieur, sa face blême, son œil égaré, sa démarche moitié paresseuse et moitié hâtive, trahissait un sinistre passé. Il possédait à un haut degré les qualités de chef de bande : sachant jouir et sachant se priver, ayant le courage, la connaissance des hommes, l'énergie du crime, et maniant en maître l'épouvantable enseignement du vice, qui pousse les faibles à leur chute, et, après la chute, au forfait. » (*Hist. Rom.*, trad. Alexandre, Paris 1868, t. VI, p. 327.)

tere aut labefactare poterat, propitia voluntate, ut Caesar ipse, benignisque oculis adspicias. Sine studio enim quae dicta sunt audire, quae facta discere, eum decet qui sit cultor veritatis.

*
* *

2. Periculosissima igitur conjuratio habebitur, si quis quam gravia nefandaque meditarentur conjurati meminisse voluerit. Sed eo etiam periculosam fuisse eamdem existimabis, quod rei tam multi homines faverent ut timendum esset ne illa ex Catilinae sententia succederet. Ea enim « vis morbi ac veluti tabes plerosque civium invaserat (1) ».

Novarum enim rerum multi cupidi erant, quia commutari volebant alii, ut ita dicam, statum bonorum, alii statum civitatis.

Neque sane mirum. Etenim bonis ita impares erant inter se vel cives ipsi Romani, ut iniquissime dissiderent. Nam cum multi inopia laborarent, aliqui divitiis deliciisque diffluebant, eisque erat, ut Velleii Paterculi verbis utar, « pecuniae infamia. » Ex victo enim toto orbe terrarum argentum aurumque Romam confluxerant, ad paucorum tamen commodum atque utilitatem.

In Italia vero agri deserebantur; agricolaeque, in egestatem deducti, ad Urbem undique conveniebant, ita mali paupertate, cupiditatibus, vitiis, ira, desperatione, ut jam Italiae totiusque mundi quaedam quasi sentina Roma esse videretur.

Hi miseria, illi luxuria, multi otiose vivendo, sive quia sponte sive quia inviti vacabant, alii denique alio modo, fecerant ut foenore atque aere alieno, gravissimis quasi cladibus, Urbs opprimeretur. Miseri igitur, quique, cum ob egestatem vel luxuriae studium mutuam pecuniam sumpsissent, non habebant unde solverent, res commutari cupiebant, novamque fieri bonorum partitionem. Quorum qui maxime erant natura temperati latifundia saltem eamque agri publici partem, quam

(1) Sallust., *Catil.*, XXXVI. Confer quid in capite sequenti dixerit Sallustius ut, quare conjuratio placeret multis, explanaret.

non legitime acceptam obtinebant divites, civibus assignari vehementer expetebant.

Addendum etiam quod eorum filii, quos proscripserat Sylla, exoptabant ut bona juraque rapta sibi tandem redderentur.

Denique multitudo illa pessima, qua nulla caret magna civitas, res ita turbari vertique avebat, ut ex divitum agris domibusque rapere et agere posset.

Quod igitur ad bona attinet, alius in aliam partem animo trahebatur, ita tamen ut multi novas res expeterent. Itaque, quodam quasi morbo, ut ait Sallustius, Urbs laborabat, aegrisque similis, quos lecto jacentes ardentissima febris urit, agitabatur neque ea erat quae conquiescere posset.

*
* *

Neque minor fuit de civitatis statu animorum agitatio. Plebs enim, cui ab initio ea mens fuerat ut reipublicae gerendae magis atque magis particeps fieret, quemdam tandem principatum obtinebat. Sed, cum illa quae jam sibi paravisset jura satis nunquam esse duceret, natura praeceps, ea, quae senatui in civitate supererant, aegre ferre solebat, neque aliud exoptabat nisi ut ipsa quoque sola regnaret.

« Déjà se faisait jour, inquit Mommsen, la maxime que la foule pauvre peut aussi bien que la riche oligarchie se constituer en puissance indépendante, et, cessant de subir la tyrannie, jouer au tyran à son tour. Et ces dangereuses opinions trouvaient de l'écho jusque parmi la jeunesse des hautes classes; les raffinés de la mode (1)... »

Multi igitur volebant minorem fieri in re publica gerenda senatus potestatem; quos propositi adjutores facillime habebat Catilina, cum adversus senatum pro plebe se agere profiteretur. Dixit enim in curia, die vigesima prima Octobris, « duo corpora esse reipublicae, unum debile, infirmo capite, alterum

(1) *Histoire romaine*, trad. Alexandre, t. VI, p. 326.

firmum sine capite : huic, cum ita de se meritum esset, caput, se vivo, non defuturum (1). »

Dum turba ita sentiebat, viri civiles quasdam in factiones scissi abibant, quas quatuor fuisse, post Syllae abdicationem, recte forsan credideris (2).

Alii enim, qui optimates dicebantur, stabant pro gentibus suis, quarum, quamvis paucae essent, principes senatum consiliis gubernare totamque rem publicam regere solebant.

Alii, inter nobiles, illis invidebant, optabantque ne in eorumdem manibus res semper manerent : ex quibus Crassus erat.

Factio autem popularis, quam Marii factionem dicere possis, quos Sylla vexaverat, eos omnes complectebatur. Praeerat illis Marii nepos, Caesar.

Quarta secta, quae militaris forsitan appelletur, ex illis hominibus constabat, qui, stipendiis apud Syllam factis, cum ad gerendam rempublicam pervenire inde non potuissent, res commutari eo consilio cupiebant ut vel imperio vel divitiis potirentur. Quorum nemo notior quam ipse Catilina.

Porro, quia optimates rempublicam tenebant, ceteris omnibus una mens erat, ut eos ex honoribus muneribusque exturbarent. Itaque, exceptis quidem incendiis caedibusque, in hoc consentiebant ut plus minusve Catilinae inceptum oriri propitia voluntate viderent.

Nemini enim ignotum est, ut duo homines maximi ponderis tantum appellem, Crassum Caesaremque de conjuratione in suspicionem venisse, ita etiam ut expresse accusati sint, ille ante conjuratorum mortem, hic postea. Quid? Testis est Plutarchus plures exstitisse qui dicerent Ciceroni ea fuisse quibus illos conjurationi favisse comprobaret, eum vero illis parcere

(1) Cic., *Pro Murena* XXV. — A Plutarcho (*Cic.*, 14) Catilina dixisse fertur, « duo corpora esse rei publicae, unum cum capite debile, alterum, etc... ». Sic quidem verba verbis rectius opponi fatendum est; neque tamen obliviscendum Ciceronem Catilinae in senatu dicentis verba ipsum audivisse.

(2) Cf. Mérimée. *Etudes sur l'histoire romaine : la Conjuration de Catilina*, Paris, 1844, p. 31.

voluisse, ne, indicatis tam gravibus culpae sociis, Catilinae vires adderet (1).

Utrum quidem cum conjuratis vere consilia communicaverint necne, non satis compertum est, adhucque disputatur (2). Hoc tamen non dubium est quin illi, etiamsi non probarent neque forte cognoscerent quid de caedibus atque incendiis conjurati meditarentur, seditioni tamen eo faverint quod utilis ipsis videretur ad id, quod sibi proposuerant, facilius assequendum.

Neque negat ipse Sallustius, quamvis Caesaris partes foveat. Haec enim scribit : « Quicumque aliarum atque senatus partium erant, conturbari rem publicam quam minus valere ipsi malebant (3) ».

Nobiles autem complures, plus minusve occulte, consiliis Catilinae participes erant. Ubi enim ille eos, quibus maxima necessitudo et plurimum audaciae inerat, in unum convocavit, « eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura (4), P. Autronius (5), L. Cassius Longinus (6), G. Cethegus, P. et Ser. Sullae, Ser. filii (7), L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia (8), Q. Curius; praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles (9) ».

(1) Plut., *Cic.*, 20.

(2) Caesarem vere conjurationi favisse diserte docet Suetonius. — Narrat etiam Plutarchus (*Caesar*, 8) Ciceronem a Pisone Catuloque fuisse posterius reprehensum, quod Caesari pepercisset, cum haberet unde eum accusaret. De quo Plutarchus addit se in dubio esse. — Notissimum quidem Caesaris orationem, in senatu pro conjuratis habitam, causam fuisse cur ipsum, non Cato tantum, sed etiam alii multi in conjurationis suspicionem adducerent Nam e curia exeuntem aliqui ex adolescentibus, qui consuli erant praesidio, eductis gladiis circumdederunt, oculis consulem rogantes quid esset faciendum. Consul autem eorum impetum cohibuit, Caesaremque e morte eripuit (Plut., *ibid.*)

(3) Sallust., *Catilina*, XXXVII.

(4) Praeturam tum iterum exercebat.

(5) Quaestor fuerat.

(6) Praetor fuerat eodem quo Tullius anno.

(7) Hi nepotes dictatoris erant.

(8) Tribunus plebis designatus.

(9) Sallust., *Catil.*, XVII.

Unde patet et turbam et viros civiles multos conjurationi tantum favisse, ut periculosissima res fieret.

*
* *

3. Atque eo majus erat periculum, quod conjuratis multa erant, quibus senatum aggrederentur, senatui vero satis pauca quibus se a conjuratis defenderet.

Foris enim in agris tum erant latronum manus, rapto viventium, quibus ne se jungerent multi homines rusticani, bonis evoluti, consuli timendum erat. Domi autem non minus erat metuenda turba gladiatorum, quorum animi venales, armaque venalia. Denique Syllae veteranis militibus nihil magis in animo erat, cum vacarent, quam, moto bello, iterum ex militia fructum capere. Suus ergo erat conjurationi jam quasi paratus exercitus.

Rei publicae vero et senatui hoc opis tum non erat plurimum leges apud cives auctoritate valere. Jamdiu enim, praesertim a Syllae tempore, legum auctoritas frangi coepta erat. Nam legibus tam graviter abusi erant Sylla aliique, et simul tam facile contra leges pro voluntate se gesserant, ut vis earum enervaretur. Neque in foro neque in Campo Martio is vincere solebat, cui virtus major esset aut causa melior, sed qui audacia vel suorum turba polleret vel etiam largitione. Nam sua vendebat populus suffragia.

Itaque, imminuta quasique fracta legum religione, qua multum ii valere solent quibus civitas est gubernanda atque defendenda, nihil aliud senatui consulique reliquum erat, nisi ut viribus copiisque praestaret.

At nulla fere Romae praesidia, nullae copiae. Immo nullus erat in Italia exercitus. Quid porro? Non alio modo se senatumque tueri domi poterat consul nisi praesidio apparitorum senatus, servorum publicorum, praesertimque eorum, qui sponte ad rem publicam defendendam accurrerent.

Quam ob rem plures senatorum, ut ex quarta Catilinaria oratione apparet, occidi conjuratos jubere cunctabantur, quia vere-

bantur ut haberet consul satis praesidii ad ea, quae statuissent, transigenda.

Quibus ut animos adderet, his Ciceronem verbis usum esse nemini est ignotum : « Omnia et praevisa et parata et constituta sunt, quum mea summa cura atque diligentia, tum multo etiam majore populi romani ad summum imperium retinendum et ad communes fortunas conservandas voluntate. Omnes adsunt omnium ordinum homines, omnium denique aetatum; plenum est forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus hujus loci ac templi... Quid ego hic equites romanos commemorem... quos... hodiernus dies vobiscum atque haec causa conjungit... Pari studio defendendae rei publicae convenisse video tribunos aerarios fortissimos viros, scribas item universos : quos quum casu hic dies ad aerarium frequentasset video ab exspectatione sortis ad communem salutem esse conversos (1) ».

Reipsa, qui sponte ad consulem defendendum concurrerunt, ii soli impedierunt quin ab inimicis occideretur. Neque pauci erant : « Cum enim ibat per urbem, inquit Plutarchus, tot cives eum circumdabant ut eorum multitudine forum paene repleretur (2) ».

Praesidium quidem optimum, sed minime certum, cum nihil esset quo cives illi accurrere cogerentur !

Unde liquet quam periculosa res esset senatui consulique, utpote qui, cum tam nefandae conjurationi tam multi faverent essetque quasi paratus exercitus, neque auctoritate legum jam enervata neque militibus uti possent, ut se atque rempublicam tuerentur. Una erat illis salus, si qua erat, nervose et sine mora decernere et quod decretum esset exsequi.

(1) *IV Catilin.*, VII.
(2) PLUT., *Cic.*, 16.

II. — *Quanti rei publicae interfuerit de conjuratis extra ordinem et vehementer agi.*

1. Nisi potestate extra ordinem sibi ex senatusconsulto data usus esset consul, si ad judices ordinarios, inquam, rejecisset conjuratos, opprimi potuisse conjurationem negandum esse videtur.

Memor sis enim oportet eam fuisse tum legem Romanis ut rei, dum eorum de causa inquireretur, in vinculis retineri vetarentur. Itaque via cognoscendi judicandique ordinaria contra eos utenti necesse erat carcere abstineret (1) Porro multum praeteriisset tempus antequam conjurati judicarentur, resque simul ita se tum habebat ut causa non desset cur judicibus consul parum confideret.

Lege enim vocandi erant Catilinae socii vel ad comitia centuriata vel ad unam ex *quaestionibus*.

Atqui comitia centuriata trinundino saltem, septemdecim inquam diebus, ante diem comitialem indicenda erant (2). Equidem scio hunc morem non fuisse semper servatum (3). Sed, anno 98 (a. J.-C.) lata fuerat lex Caecilia Didia, qua stuatuebatur ut jam utique servaretur. Tempore igitur Ciceronis, neglegi vetabatur. Itaque Lentuli aliorumque conjuratione per indicia Allobrogum certiore facta, si ad comitia centuriata rei fuissent a consule vocati, tantum temporis eis erat lege concedendum, ut possent artibus malis populum allicere, quin etiam, quaecumque nefanda paravissent, ea exsequi.

Praeterea coepta haberi comitia dimitti poterant sive ob

(1) Illi tantum rei in carcerem conjiciebantur, qui satis dare non poterant. (Cf. Liv. III, 13; XXV, 4; — Dionys., XI, 46; — App., *B. C.*, I, 74). Ihering (*L'Esprit du droit romain*, trad. de Meulenacre, Paris, 1877, t. II, p. 130) memorat « parmi les garanties de la liberté personnelle.., la liberté que, vers la fin de la république, on laissait jusqu'au jugement au prévenu contre lequel se poursuivait une accusation. » Idem addit — quod ab aliis negatur — : « La détention était possible... dans l'ancien droit ».

(2) Dionys., VII, 58, IX, 41, etc.

(3) Liv., IV, 24; XXIV, 7; XXV, 2; XLI, 14.

quaedam *auspicia e diris*, ut si quis morbo comitiali corrueret (1), sive ob *auspicia e coelo*, ut Jove tonante vel fulgurante (2), sive ob nuntiationem auguris concilium alio die vocari jubentis (3), sive tandem, ne multus sim, ob intercessionem unius tribunorum plebis (4).

Re vera dimissum fuerat aliquanto ante concilium, cum de Rabirio ageretur. Quia enim animadverterat jam fore ut reus, cui erat amicus, damnaretur, Metellus, qui praetoris et auguris simul officio fungebatur, adversa esse auguria pronuntiavit, sublatoque russi coloris vexillo, fecit ut comitia dimitterentur.

Erat ergo consuli metuendum ne tempore ante judicium legitime dato male uterentur conjurati, aut etiam, postquam dies comitialis venisset, concilium dimitteretur vel ob causam fortuitam, vel maxime unius tribuni aut auguris voluntate, cujus animum rei potentissimi sibi conciliassent. Quod utrumque fuisset reipublicae gravissimum.

Ceterum fatendum est comitia centuriata, eo tempore, reos judicare non esse solita. Judicare enim solebant quaedam consilia, quae *quaestiones* dicebantur. Quarum quidem aliae erant *perpetuae*, aliae *extraordinariae*. Priores, anno 149 (a. J.-C.), munus obire coeperunt. Posteriores vero institui moris erat, vel cum, neglectis quaestionibus perpetuis, rei capitis ad populum vocabantur, quod erat maxime rarum, vel cum de re agebatur, quae ad nullam quaestionum perpetuarum pertineret. Tum enim solemne erat populo senatuique quaestionem extraordinariam constituere, ad quam res remitteretur.

Quid autem metuendum esset, si ad unam ex illis quaestionibus rejiceretur causa conjuratorum, ex iis quae nuper etiam evenerant, non erat consuli incertum. Nam ipsum Catilinam legati Africanorum, apud quaestionem *repetundarum*, medio circiter anno 65, accusaverant. Porro sententiam non tulerunt

(1) Festus, p. 234; Serenus Sammonicus, *De Medicina*, V, 1015, sqq.

(2) « Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. » Cic., *De Divin.*, II, 18, 42. — Liv., XL, 42. — Dio Cass., XXXVIII, 13.

(3) Cic., *De Legib.*, II, 12 ; III, 4.

(4) Liv., IV, 25; VI, 35 ; VII, 21.

judices, nisi uno post anno, ita etiam ut reum absolverent.

Neque multo post, proscriptos, Syllae tempore, occidisse idem arguebatur apud quaestionem de *sicariis*, cui praeerat C. Julius Caesar. Apertum erat facinus. Judicio tamen reus liberatus est. Voluit sane Caesar audacem sibi servare adversus Patres adjutorem.

Unde fit ut Catilinae quaestionum illarum minimus esset timor. Nam, facto jam senatusconsulto ultimo, cum L. Æmilius Paulus accusationem ei minitatus esset apud quaestionem *de vi* instituendam, accusationem illam confidenter et superbe ipse excepit, et se rogare professus est ut, dum inquireretur, apud quemvis magistratum vel senatorem, vel apud ipsum Ciceronem, in custodia asservaretur (1).

Arbitrabatur enim se ejusdemque rei socios, si ad judices ordinarios, usitato modo, judicandi vocati essent, facturos esse, vel verbis artibusque ut absolverentur, sicut ipse bis jam absolutus erat, vel audacia atque agendi celeritate ut prius quam judicarentur ea quae tentare destinavissent exsequerentur.

Hoc quidem omnium oculis tam erat evidens, ut Caesar ipse reos ad judices ordinarios remittendos, usitatoque modo judicandos, censere minime ausus sit.

*
* *

2. Poenam vero eum proposuisse in conjuratos extra ordinem decernendam, morte vero minorem, jam dictum est. De quo audi Sallustium scribentem :

« Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule » dixit « ... ita censeo : publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxume opibus valent ; neu quis de eis postea ad senatum referat, neve cum populo agat ; qui aliter fecerit, senatum exustumare eum contra rem publicam et salutem omnium facturum (2). »

Quam poenam, novam quidem, non eam tamen fuisse exis-

(1) Cf. Cic., *I Catil.*, VIII. Neglecta accusatio illa cecidit.
(2) *Catil.*, LI.

times quae rebus periculosissimis par esset. Erat enim primum municipiis gravis molestaque. « Habere videtur ista res, aiebat Cicero, iniquitatem si imperare velis; difficultatem si rogare (1). » Nam cum essent municipia sui juris, timendum erat ne nollent eos sine ulla utilitate custodire, quorum si quis forte vincula rupisset, gravis ipsis poena impenderet (2).

Fac autem quod sperabat consul hoc evenisse, eum municipia reperisse quae id, quod omnium causa statutum esset, non putarent esse suae dignitatis recusare : nemo tamen non videt futurum fuisse ut damnati poenam illam non persolverent, si eorum princeps Catilina proelio secundo uteretur. Tum enim graviter in conjuratos municipia se gerere noluissent, neque eos carcere inclusos cohibere, cum metuendum illis fuisset ne, si factioni victae paruissent, vincentis iram ultionemque subire cogerentur.

Itaque nihil aliud velle is videbatur, cui poena illa mulctari conjuratos placebat, quam omnia armis fortunaeque belli committere. De quo consentire non poterat consul, quin in re civili graviter peccaret.

Accedit ut, quod quidem erat maxime attendendum, si Caesari consul assensus esset, iis omnibus qui conjurationi dom forisque aperte vel occulte faverent, nullo modo fracti fuissent animi, neque causam hanc illi deseruissent, quam utique speravissent victoria tandem esse forte potituram.

Porro eorum animos frangi magni referebat. Dum enim quid de conjuratis faciendum esset Patres rogabantur, narrat Appianus « ingentem tumultum fuisse ante curiam et consciorum magnam trepidationem. Lentuli autem et Cethegi servi libertique, assumpta magna manu artificum, conati sunt per posticum in praetorum aedes irrumpere et vi dominos eripere. Quo cognito, Cicero procurrit e curia, dispositisque praesidiis, reversus urgebat sententias (3). »

(1) *IV Cat.*, IV.
(2) *Ibid.*, *ibid.*
(3) App., *B. Civ.*, II, 5.

Res enim nullam cunctationem recipiebat, omniaque erant metuenda, nisi consul, gravissimo quodam consilio, Lentulo aliisque vitam, et amicis eorum spem, simul eriperet.

Foris quoque, conjuratorum morte nulla via melior erat faciendi ut Catilinae ipsius exercitum, quem spes auxerat, diffidentia timorque minorem efficeret. Nam « ut quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat, aequaliter distribuerat Catilina, ac brevi spatio legiones numero hominum compleverat, cum initio non amplius duobus millibus habuisset..... Hostibus occasionem pugnandi non dare ; sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent (1) ».

Interfectis igitur iis, quibus ille incepta commiserat Romae patranda, id repente auferebat consul, quo maxime ipsi Catilinae suisque animi addebantur, eidemque tam nocebat quam si illum, praelio facto, vicisset.

Quod quidem ipsa res declaravit. Nam « postquam in castra nuntius pervenit Romae conjurationem patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque, quos supra memoravi, supplicium sumptum, plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium inlexerat, dilabuntur (2) ». Neque alia Catilinae spes relicta est nisi fortiter moriendi.

Romae autem, cum, occisis Lentulo ceterisque, e carcere consul exiret, erant in foro haud pauci conjurationis conscii qui, non cognita re, exspectabant dum nox veniret ut quos vivere credebant, facto impetu, liberarent. Postquam autem eis conjuratos « vixisse » nuntiavit, statim dispersi sunt (3), non tantummodo quia jam nulla vincendi spes erat, verum etiam, teste Appiano, quia erat contentus quisque evasisse et latuisse (4). Jam igitur de se curabant, nullo modo de conjuratione, quam, ut ita dicam, cum hominibus interfectis interfectam esse arbitrabantur.

(1) SALLUST., *Catil.*, LVI.
(2) *Ibid.*, LVII.
(3) PLUTARCH., *Cic.*, 22.
(4) *De Bell. civ.*, II, 6.

Neque ergo mirum quod prudenter civilique consilio egisse consulem omnes conclamaverint; dictum jam a senatu patriae patrem, magno plausu et clamore, dicebat populus servatorem Urbis alterumque conditorem (1).

CAPUT III

QUAM FORTEM SE CONSUL PRAESTITERIT

Rem publicam si attenderis prudentissime egisse consulem minime incertum habebis. Si vero ad ipsum respexeris, minore usum esse eum prudentia forsitan fatearis.

Quid vero illi gloriosius, quid majori potuit esse honori quam se victimam rei publicae praestare? Nemini enim dubium erat, ne ipsi quidem, quin, si conjuratos interficeret, in certissimum discrimen veniret, ne homines populares, foro quandoque forte potiti, ulciscendi studio eum gravissimis poenis afficerent.

Quamobrem Quintus, frater ejus, iique qui ipsi erant amicissimi, in Caesaris sententiam propenso animo iverunt (2); qui etiam surgentes consulem circumdederunt, effusisque lacrimis rogaverunt ut eidem ipse, studio sui, assentiretur (3).

(1) Plutarch., *Cic.*, 22.
(2) *Ibid.*, 21.
(3) Rem in contrariam prorsus partem interpretatus est J.-B. Mispoulet, nescio qua ratione deceptus. « Les chefs expérimentés du parti conservateur, inquit,..... tentèrent un suprême effort dans le but d'effacer l'impression produite par l'éloquence de (César) leur adversaire... Ils quittèrent leur place, gravirent l'estrade, entourèrent la chaise curule du magistrat (Cicéron) et le prièrent de rallier à sa voix la majorité en pleine déroute. » (*Op. cit.*, p. 213.)

Hac interpretatione minima fit res quaedam magna. Certum est autem interpretantem erravisse. Ex Plutarcho enim (*Cic.*, 21) constat eos qui essent Ciceroni amicissimi in Caesaris sententiam ipsos ivisse. Qui velis igitur eosdem a consule efflagitavisse ut ipse contra hanc sententiam diceret? Adde quod, si efflagitavissent, lacrimis abstinuissent, quas eos effundere ridiculum plane fuisset, nisi salus consulis ageretur. Postremo quid voluerint fecerintque, ex quarta Catilinaria oratione planissimum apparet atque clarissimum.

Nec potuit consul quin eorum vocibus lacrimisque commoveretur atque magis magisque jam perspicuum haberet quam res foret sibi periculosa. Quid ergo ageret? Fuit sane hoc in ejus vita tempus gravissimum, in quo quidem ostendere potuerit quanto in amore civitatem suam haberet, quamque dignus esset cujus magnum animum posteri colerent atque mirarentur.

« Patres conscripti, inquit, ego mea video quid intersit. Si eritis secuti sententiam Caesaris, quoniam hanc is in republica viam, quae popularis habetur, secutus est, fortasse minus erunt, hoc auctore et cognitore hujus sententiae, mihi populares impetus pertimescendi : sin illam alteram, nescio an amplius mihi negotii contrahatur. »

Quae cum ita essent fortissime concludentem audi : «Sed tamen meorum periculorum rationes utilitas rei publicae vincat... Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris carissimi atque amantissimi praesentis moerore non movear, horumque omnium lacrimis, a quibus me circumsessum videtis. Neque meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor, abjecta metu filia, et parvulus filius, quem mihi videtur amplecti res publica, tanquam obsidem consulatus mei... Moveor his rebus omnibus, sed in eam partem ut salvi sint vobiscum omnes, etiamsi vis aliqua me oppresserit, potiusquam et illi et nos una rei publicae peste pereamus. »

Vult igitur consulant prospiciantque patriae Patres conscripti, populi romani nomen salutemque defendant, ipsi parcere ac de ipso cogitare desinant, minime dubius fore ut, si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriatur (1). — Non quidem hanc ob causam mortuus est occisus, sed ob gloriose factum contra Antonium proque libertate bellum. Attamen quod adversus conjuratos fortiter fecit ea causa fuit cur multa mala pateretur.

Clodii enim furore ac scelere concitata, paucis post annis, turba popularis ei aqua et igni interdixit, bonaque ejus publicari voluit. Cujus quidem rei ita eam poenituit ut, sexdecim post

(1) *IV Cat.*, V, II, passim.

menses, uno omnium suffragio, in patriam ille reduceretur (1).

Neminem fugitantea, cum consulatum ille deponebat, Metellum tribunum plebis prohibuisse ne ad populum orationem haberet. Nihil aliud iste permisit nisi eum, more solito, jurare se officio bene esse defunctum. Juravit autem Cicero se rempublicam salvam effecisse. Idemque universus populus ipse juravit (2).

Neque aliter est posteris existimandum. Equidem scio Ciceronem consulem haud impedivisse quin Respublica, jam morbo quodam affecta quasique senio laborans, in alia mox discrimina veniret.

Cave vero ne ei exprobres id demum non fecisse quod nemo facere posset.

Sed hoc est utique fatendum illum rempublicam, quam tota mente coleret, legitimo simul et prudenti consilio salvam suo tempore effecisse.

Quod quidem non tam parum est ut non ei multae laudi habendum sit atque maximo ornamento.

(1) Plutarch., *Cic.*, 33.
(2) *Ibid.*, 23.

INDEX RERUM

PROEMIUM

PARS I[a]

LEGITIME MULCTATOS MORTE FUISSE A CICERONE CONSULE CATILINARII FACINORIS SOCIOS RECTE EXISTIMES

PARS II[a]

IN PUNIENDIS CONJURATIS PRUDENTER CIVILIQUE CONSILIO EGISSE CONSUL VIDETUR

Vidi ac perlegi
Lutetiae Parisiorum in
Sorbona a. d. IV. Kal. Aug. Ann. MDCCCXCIX
Facultatis Litterarum in Universitate
Parisiensi Decanus
A. Croiset.

Vu et permis d'imprimer.
Le Vice-Recteur de l'Académie de Paris,
Gréard.

PARISIIS, EX TYPIS F. LEVÉ, VIA DICTA CASSETTE, 17.

PARISIIS, EX TYPIS, F. LEVÉ, VIA DICTA, CASSETTE, 17.